


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS
751 fe
B858

DE ANTIPHONTIS ORATIONE DE CHOREUTA COMMENTATIO PHILOLOGA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ALMAE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BERNHARDUS BRINKMANN

OSNABRUGENSIS.

JENAE

TYPIS FROMMANNI (H. POHLE)

MDCCCLXXXVIII.

Quanti momenti sit Antiphontis de choreuta oratio non modo ad multarum rerum cognitionem, quae ad Atheniensium vitae quum privatae tum publicae instituta attinent, sed ad ipsius quoque Antiphontis ingenium ac dicendi genus judicandum, inter omnes, qui quidem in his rebus versati sunt, satis constat. Quare apparet magnam sane rem dignissimamque quae accuratius tractetur suscipi, si quis hujus orationis fidem et auctoritatem vocet in dubitationem. Verum mihi nunc non in animo est de iis disserere, quae Reiskius, Sluiterus, Heckerus, alii contra hujus non magis quam ceterarum orationum, quas sub Antiphontis nomine accepimus, auctoritatem protulerunt, omnes pariter hujus oratoris nomine indignas esse arbitrati. Quorum sententia a nostrae aetatis viris doctis, iisque maxime qui in tractandis oratoribus Atticis praecipuam operam posuerunt, reprobata atque abjecta est, quippe quam illi non tam ex judiciis testimoniisque, quae apud veteres scriptores de Antiphontis orationibus exstant, accurate demonstraverint, quam ad vanam quandam et ex suopte arbitrio fere expressam imaginem eloquentiae Antiphonteae, qualis perfectissima esse possit, rettulerint. Nunc si de orationum Antiphontearum fide disceptatur, quintam et sextam certe omnes genuinas esse consentire solent. Quamquam nuper A. Wagenerus in diario illo quod inscribitur: Revue de

l'instruction publique en Belgique (XVIII. année, 2. livr., Étude sur l'authenticité du discours d'Antiphon *περὶ τοῦ χορευτοῦ*), orationem VI. subditiciam et a recentiorum temporum quodam rhetore conscriptam esse censuit. Quod ad probandum multa affert argumenta, quae tum ex ipsis rebus tum ex iis sumpsit, quae inter proprias Antiphontis inveniendi, disponendi, eloquendi rationes et eas quas oratio de choreuta exhibeat, interesse ei visa sunt. Atque equidem ut hoc vel maxime concedam, in oratione VI. multas inveniri res, quae incertae vel subobscurae naturae sint, vereor tamen ne reperiri possint eae explanandi rationes, quibus quamquam forsan tota ac perfecta veritas haud contineatur, demonstretur tamen in rebus absurdis orationem non versari. Quod deinde ad orationis VI. dicendi genus attinet, neglegendum non est, omne de hac re judicium haud ita magnam vim auctoritatemque habere, quum paucas Antiphontis orationes et eas quidem partim minores partim natura diversissimas acceperimus, unde uberiorem et subtiliorem hujus oratoris eloquentiae notionem haurire non liceat. (cfr. Blass. Att. Ber.[2] I. p. 120 sq., 192 sq.) Quae quum ita sint, apparet non ad defendendam tantum, sed etiam ad impugnandam orationis auctoritatem cautione et modestia opus esse.

Atque Wagenerus in omni disputatione, quandoquidem in contentionibus et comparationibus ea versatur, ab una oratione V. proficiscitur. Quae ratio etiam nobis sequenda esse videtur. Nam primum quidem nimius est hominum doctorum numerus qui et orationis I. et tetralogiarum quae vocantur fidem et auctoritatem aut repudient aut in dubitationem vocent. Deinde tetralogiae certe non ad usum forensem, sed ad exercitationem umbratilem conscriptae sunt, quare illarum dicendi genus longius recedit ab oratione V. Non plus quam illae ad rem propositam facere videtur oratio I., quam alii subditiciam, alii declamationem, alii tamquam Antiphonteae

eloquentiae primitias, omnes denique perfectiore dicendi arte parum dignam esse censeant. Quamobrem quum de oratione VI. disserentes omnem comparationem ad solam orationem V. referemus, accurate et diligenter investigando fortasse aliquid proficiemus, judicii autem fides non deminuetur. Tali igitur modo disputandi materie quasi in parvum quoddam et angustum specimen conclusa si quis nonnulla nova et probabilia a nobis inventa esse existimaverit, operae pretium fecisse nobis videbimur.

I. De crimine quod βούλευσις φόνου ἄνευ προνοίας dicitur.

Permulti qui vel orationibus Antiphontis explicandis, vel pernoscendis legibus operam dederunt, quibus Athenis causae capitales judicabantur, mirati sunt quale fuerit crimen, quo choragus ille qui orationem de choreuta dicit, accusatus sit. Quum enim hoc tantum dubium non sit, quin Diodotus in domo choragi veneno quodam hausto obierit, choragus modo quod „*ἀναγκάσειε πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον*“, modo quod „*δοίη τὸ φάρμακον*“, modo quod „*βουλεύσειε τὸν θάνατον*“ accusatus esse videtur. Forchhammerus primus in libello qui est de areopago non privato per Ephialten homicidii judiciis, distinctius de hujus causae crimine ejusque natura disputavit. Docet ille vir doctus (p. 30 sq.) cum Boeckhio, habitam esse orationem in causa *βουλεύσεως*. Atque crimen sic definit: „Est vero *βούλευσις* id crimen, quo quis quacunque sit ratione, ipse tamen a necando manus abstinens, hominem morti studeat dare. Cujusmodi criminis auctor *τὰς χεῖρας* quidem *καθαρός*, sed, ut pulchre ait Plato de leg. IX. p. 872 b, *οὐ καθαρὸς τὴν ψυχήν*, a jurisconsultis hodie vocatur „der intellectuelle Urheber“.“ Quam sententiam plerique secuti sunt, alii diversis, ut quidem videntur, orationis locis permoti vel crimen non *βουλεύσεως*, vel aliam *βουλεύσεως* naturam esse existimaverunt.

Quare adeamus locos, quibus in dubitationem induci solebant. Ac primum quidem quod orator § 3 *φονικὰς δίκας*, § 4 *μὴ ὄντα φονέα μηδ' ἔνοχον τῷ ἔργῳ*, § 9 *φόνον διώκοντες* dicit, recte videtur Philippius in libro quem inscripsit: Der Areopag und die Epheten, p. 35, monuisse, talibus verbis de ipso crimine nihil effici, quippe quae et generatim dicta sint, et partim in locos communes incidant, quos ad quodlibet causarum capitalium genus adaptatos esse appareat. Locum ad definiendum crimen certissimum cum Forchhammero ceterisque censebimus esse § 16: *ἐξ αὐτῶν δὲ τούτων χρὴ σκοπεῖν, ἅ τε οὗτοι διωμόσαντο καὶ ἃ ἐγώ, πότεροι ἀληθέστερα καὶ εὐορκότερα. διωμόσαντο δὲ οὗτοι μὲν ἀποκτεῖναί με Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον, ἐγὼ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι, μήτε χειρὶ ἐργασάμενος μήτε βουλεύσας.* Hoc enim loco oratorem verba et rei et accusatoris, quae jurejurando uterque firmaverat, accurate proferre apparet. Itaque, ut jam nunc communem *βουλεύσεως* definitionem, infra argumentis probandam, sequamur, choragum accusatum esse dicemus, quod alterum quendam ad veneficium, i. e. ad venenum praebendum, subornaverit. Vocem *βουλεύσας* a reo perspicue oppositam esse notes illi *χειρὶ ἐργασάμενος*. Haece enim verba, quae Dobreei conjecturae debentur, equidem non dubito quin recte ex *χειρὶ ἀράμενος* restituta sint auctoritate Andocidis or. I, 94: *καὶ οὗτος ὁ νόμος καὶ πρότερον ἦν καὶ ὡς καλῶς ἔχων καὶ νῦν ἔστι καὶ χρῆσθε αὐτῷ, τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν χειρὶ ἐργασάμενον.* Accusatores *διωμοσίαν* illam disjunctione quadam quae vocatur explanare apparet ex § 17: *αἰτιῶνται δὲ οὗτοι μὲν ἐκ τούτων, ὡς οὗτος [ἔνοχός ἐστι τῷ φόνῳ ὃς* ci. Jernst.] *ἐκέλευσε πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον, ἢ ἠνάγκασεν ἢ ἔδωκεν.* Haec ipsa verba fere probant accusatores non vulgare illud *φαρμακείας* crimen chorago inferre. Ita enim rem exponere vix tanti foret, si eum sua manu

venenum praebuisse contenderent; quod si fecisset, nemo hercle dubitare posset, quin esset φόνῳ ἔνοχος. Ostendere videntur posse aliquem homicidam esse, neque tamen sua manu venenum ministrasse. Dicunt igitur reum bibere jussisse puerum vel minis similive modo coegisse. Etenim si reus manu puerum coegisse argueretur, crimen haud dubie non jam βουλεύσεως, sed αὐτοχειρίας quae vocatur foret, etiamsi venenum ab alio datum accusatores contenderent. Eodem modo Philocrates, quum choragum proximo anno (cfr. §§ 21, 42 sqq., 49) reum facere conaretur, accusavit quod „ἀδελφὸν αὐτοῦ ἀποκτείνειεν ἐν τῷ χορῷ φάρμακον ἀναγκάσας πιεῖν". Istis igitur verbis: ἐκέλευσε πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον ἢ ἠνάγκασεν jamne continetur crimen βουλεύσεως? Non sane. Βουλεύσας τὸν θάνατον choragus est, si, ut supra diximus, alteri persuasit, ut puero potum praeberet. Attamen si adhortando vel minitando veneficium adjuvit, eundem esse veneficii auctorem venenumque ministrandum servo alicui mandavisse probabile est, quoniam in domo choragi scelus commissum est. Qua re factum esse arbitror, ut disjunctionem illam accusatores proferrent parum accuratam atque subtilem. Crimen enim βουλεύσεως ea neque continetur necessario neque excluditur. Verbum ἔδωκεν haud dubie tantum ad αὐτόχειρα, auctorem physicum quem nos vocamus, referendum est; non itidem verba ἐκέλευσε πιεῖν ἢ ἠνάγκασεν. Nemo est quin videat choragum potuisse venenum praebendum alteri mandare, eundemque puerum adhortari vel minis cogere ut biberet. Atque talem equidem hanc accusationem esse existimaverim. Duorum igitur scelerum, si rem accuratius tractamus, choragus arguitur. Quae quum accusatores non secreverint, ne reus quidem secernit. Immo et § 17 disjunctionem illam ab accusatoribus factam sequitur, et § 15 propositio quae vocatur eam solam spectare videtur. Attamen quum § 16 reus dicat, sese testimoniis,

quae modo protulerit, crimen *βουλεύσεως* refutasse, plus iis redargui censeas necesse est, quam ipsa propositionis verba: *πρῶτον μὲν οὖν ἀποδείξω ὑμῖν κτλ.* poscere videntur. Namque eo quod choragus quum puer biberet afuit, probatur sane neque adhortatum eum esse puerum ut biberet neque coegisse neque poculum praebuisse. His vero probatis non jam constat reum nemini potum ministrandum mandasse. Etenim in *βουλεύσεως* crimine nihil referre apparet, dicasne *βουλεύσαντα* in committendo facinore adfuisse necne. Verum ad hoc crimen tota respondet narratio, quippe qua hoc potissimum efficiatur, choragum illo tempore ab omni chori et alendi et exercendi cura vacasse, neque ideo de potionibus aliisque ejusmodi rebus quidquam imperare potuisse. Neque equidem video, cur non testes, qui post § 15 procedunt, etiam hoc firmare potuerint, quamvis reus § 14 tantopere hanc rem constare dicat, ut fere testimoniis non opus esse videatur. Wagenerum, quum et *βουλεύσεως* naturam et locorum illorum rationem parum intellegeret, in errorem incidisse video. Qui l. c. p. 99 sic disputat: „Les accusateurs ne se bornent pas à soutenir que le prévenu a m é d i t é (*ἐβούλευσε*) l'empoisonnement de Diodote: ils affirment qu'il a effectivement empoisonné ce jeune homme, *ἀποκτεῖναι Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον.* „En effet, disent-ils, il a o r d o n n é au jeune choriste de prendre du poison, ou bien il l'y a f o r c é, ou finalement il lui a d o n n é le breuvage fatal.“ Il me semble conséquemment clair comme le jour que l'acte d'accusation portait non pas exclusivement sur la *βούλευσις*, mais sur le *φόνος* précédé de *βούλευσις* . . . . . Il est donc hors de doute que le prévenu est accusé 1⁰ d'avoir empoisonné Diodote; 2⁰ de l'avoir empoisonné avec l'intention de le faire mourir, *βουλεύσας τὸν θάνατον.*“ Apparet jam Wagenerum verbum *βουλεύσας* ita intellexisse, ut non subornationem (utamur enim vocabulo

peculiari apud scriptores Romanos recentioris aetatis obvio) ad homicidium perpetrandum, sed consilium necandi significet. Qua de causa iterum in angustias induceretur necesse erat, de quibus nunc agendum est.

Multi viri docti in eo offenderunt, quod accusatores choragum *ἀποκτεῖναι Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον* (§ 16), ac deinde *μὴ ἐκ προνοίας μηδ' ἐκ παρασκευῆς γενέσθαι τὸν θάνατον τῷ παιδί* (§ 19) dicunt. Nam quaerere solent, quomodo insidiose homini mors parari possit, quin hoc certo quodam consilio fiat. Itaque alii verba § 16 *μὴ ἐκ προνοίας μηδ' ἐκ παρασκευῆς* plane absurda esse statuerunt, alii alio modo interpretati sunt. Et Dobreeus quidem in Adversariis p. 173 sic dicit: „Ita videntur concilianda: formula accusandi fuisse videtur vel: *ἀπέκτεινε ὁ δεῖνα τὸν δεῖνα χειρὶ εἰργασμένος*, vel — *βουλεύσας*, i. e. 1) manu occidit, 2) alio quovis modo. Igitur in libello accusatorio *βουλεῦσαι* criminabantur; in oratione casu rem accidisse, et *φόνου* quidem, sed *ἀκουσίου* reum esse contendebant." Maetznerus in ed. Ant. p. 260 sic: „Aut Boeckhium verum vidisse statuas oportet (qui in Indic. lectt. Berol. hib. 1826/27 p. 7 accusatores eo tempore concessisse suspicatur nefarium consilium a chorago afuisse, quo ei reconciliati essent), aut maligna verborum, quae coram judicibus fecerant adversarii, interpretatione usum esse reum existimes necesse est."

Ejusmodi tamquam refugia quaedam petere non jam licet, ex quo Lipsius (in Ann. Burs. 2. p. 1350) de lege illa Draconis disseruit, quae Ol. 92, 4 jussu populi lapidi incisa, nuper reperta et a Koehlero (in Herm. II p. 27 sqq.) probabilibus conjecturis suppleta est. Docet enim in illius legis verborum (C. I. A. I, 61 l. 10 sqq.): *καὶ ἐὰμ [μ]ὴ 'κ [π]ρονο[ία]ς [κ]τ[είνῃ] τίς τινα φεύγειν δι]κάζειν δὲ τοὺς βασιλέας αἰτ[ι]ᾶ[ν] φό[νου] ἢ [βουλεύσεως τὸν ἀεὶ βασι]λεύοντα · τοὺς [δ']ἐφέτας διαγν]ῶναι* lacuna, quae est post

φό[νου] ἢ haud dubie βούλευσιν commemoratam fuisse. Aliter enim non intellegi posse quid sibi velint verba αἰτιῶν φόνου. Deinde qui accurate interpretetur, facere non posse quin verbum βουλεύσεως quoque revocet ad illa μὴ 'κ προνοίας. Quod si, ut sane mihi videtur, ita se habet, dubitari non potest, quin justum et legitimum fuerit crimen βουλεύσεως φόνου ἄνευ προνοίας, neque orationi de choreuta φαρμακείας crimen tribuendum sit.

Attamen operae pretium est audire Philippium, qui nuper de hac re disseruit. Postquam igitur vocem πρόνοια in legibus capitalibus talem esse demonstrare conatus est, quae consilium non ad qualecunque corporis detrimentum, sed ad ipsam necem spectans significet, ac deinde varia et φόνου et βουλεύσεως genera contulit, sic disserit (l. c. p. 37): „Es bedarf noch einer Bemerkung darüber, dass die Kategorie βούλευσις ohne πρόνοια nur einen scheinbaren Widerspruch enthält, nämlich wenn man sich ängstlich an Harpocrations Worte hält: ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάσῃ θάνατον. Dieses κατασκευάσαι θάνατον passt aber nicht nur zu der Voraussetzung der πρόνοια mit und ohne Erfolg, sondern auch zu der nicht vorausgesetzten πρόνοια, wenn nur der Erfolg des Tödtens stattfindet. Ist weder πρόνοια noch Erfolg vorhanden, so stimmt die Definition nicht, deshalb hat ja aber diese βούλευσις unter den φονικά auch keine Stelle. Der Ausdruck ἐξ ἐπιβουλῆς dagegen bei Harpocration passt nur unter der Voraussetzung der πρόνοια, und hier lehrt uns Antiphons Rede über den Choreuten, dass Harpocrations Definition zu enge gezogen und nach den häufigeren Fällen gemacht ist. Denn es musste seltener vorkommen, dass jemand ohne die Absicht seinen Feind zu tödten, nur um ihm irgend welche Gewaltthätigkeit zuzufügen, einen andern aufhetzte, und dieser wieder in seiner Gewaltthätigkeit weiter ging als er sollte und wollte. Immerhin musste

aber auch ein solcher Fall in der gerichtlichen Behandlung seine Stelle finden.“ Harpocrationis enim definitio (s. v. *βουλ.*) haec est: *βουλεύσεως ἐγκλήματός ἐστιν ὄνομα ἐπὶ δυοῖν πραγμάτοιν ταττόμενον. τὸ μὲν γάρ ἐστιν ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάσῃ θάνατον, ἐάν τε ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθεὶς ἐάν τε μή. τὸ δ' ἕτερον κτλ.* Ac primum quidem quod Philippius verba *κατασκευάσῃ θάνατον* recte dici posse ait, sive quis *ἐκ προνοίας* sive *ἄνευ προνοίας* mortis auctor sit, plane assentiemur. Haud raro enim verbum *κατασκευάζειν* nihil aliud notat quam „efficere“. Hoc tamen loco voluntatem significare apparet, si ad verba *ἐάν τε μή* sc. *ἀποθάνῃ* revocas, ubi vox *θάνατον* tantum intelligi potest, quatenus *θάνατος* in consilio homicidae fuit. Recte etiam Philippius verba *ἐξ ἐπιβουλῆς* vituperare videtur, siquidem in iis eadem inest vis, quam vir doctus apud oratores et in legibus verba *πρόνοια* et *ἐπιβουλεύειν* (cfr. Ant. *Γ β* 5) habere docet: consilium ipsam necem spectans; si minus, Philippio probentur necesse est. Quamquam mihi ne ita quidem convenire videntur. Philippius enim, ut supra diximus, Antiphontis tetralogia *Γ* confisus eum solum homicidam *ἐκ προνοίας* dici existimat, qui ipsam mortem alteri inferre in animum induxerit. Ergo si *πρόνοια* absit, fieri tamen posse ut aliud qualecunque consilium infestum homicida habeat. Ejusmodi igitur fere consilium esse censet *βουλεύσαντος ἄνευ προνοίας*. Quod si recte, ut quidem videtur, disputavit, *βουλεύσεως ἄνευ προνοίας* notionem latius patere, si minus, aliam esse suspicor.

Etenim comparemus jam, etsi fortasse longi videbimur in rebus apertis, *φόνου* et *βουλεύσεως* inter se concinna genera, ut quid in quoque consilii homicida habeat, spectemus. Primum igitur *φόνου* genus est, si homo qui occidit necare vult (*φόνος ἑκούσ.*); idem *βουλεύσεως*, si quis alterum ad necem subornat eo consilio, ut inimi-

cus moriatur (*βούλευσ. ἑκουσ.*). In hujus generis crimine *βουλεύσεως* oratio de noverca versatur. Alterum est si quis, quamvis vulnerare tantum vel simili corporis damno inimicum afficere voluerit, tamen non vulneret, sed occidat. Hoc genus ad *φόνον ἀκούσιον* attinere Philippius docet. Cui respondet *βουλεύσεως* genus quod fit, si quis alteri persuadet, ut inimico vim inferat, eo consilio ut hic corporis detrimentum, non tamen mortiferum capiat, ille autem cui persuasit, interficit. Hoc quoque genus Philippius *ἀκούσιον* appellari vult. Tertium denique *φόνου* est, si quis omnino neque necare neque vulnerare vult, sed casu et neglegentia necat. Quod genus, haud dubie *φόνος ἀκούσιος* appellatum, tetralogia altera illustratur. Ad quod attinet tertium *βουλεύσεως* genus, si quis nullo consilio scelesto, sed per neglegentiam alteri persuadet, ut aliquid faciat, quod cuidam tertio mortis causa fit. Hoc certe *βούλευσιν ἄνευ προνοίας* esse existimaverim.

Atque hoc tertium *βουλεύσεως* genus justum ac legitimum crimen esse ex ipsius rei natura et concinnitate illa, quae inter *φόνου* et *βουλεύσεως* crimina intercedit, satis elucet. Quid? si sententia nostra etiam auctoritate multorum aetatis nostrae hominum jurisconsultorum adjuvatur? [1]) Docent enim fieri „eine culpose intellectuelle Urheberschaft" quae vocatur, dummodo is qui inconsiderate suadendo mortis auctor sit, et re vera alteri id quod mortis causa facta sit persuadere voluerit, et id quod persuaserit, periculum mortis habere intellegere potuerit et debuerit. Quam rem tali fere exemplo explanare solent. Faber struendo aedificio praefectus opifices trabem de alto in viam deicere jubet, ubi homines ambulare scit, sed forte neglegit. Si quis igitur trabe

---

1) cfr. v. Buri, Die Causalität und ihre strafrechtlichen Beziehungen (Stuttgart 1885), p. 38 sqq.; id., Zur Lehre von der Theilnahme am Verbrechen etc., p. 50 sqq.; alios vid. ib.

consternatur, ille qui eam deici jussit, culposus quem vocant subornator ad homicidium est.

Neque vero me effugit fore qui obloquantur, quum hujus aetatis viri jurisconsulti tale crimen subtiliter excogitaverint, Athenienses suas criminum notiones haud ita accurate excogitavisse. At illi quidem non tam ejusmodi auctorem mortis cogitari posse edocent, quippe quod nemini fere non probetur, quam eum poena dignum esse disputant. Atque mihi quidem sufficere videtur, si tale crimen, quamvis rarum esset, ex communi judicum sententia absurdum non fuisse censes; quod non fuisse opinor. Athenienses enim quam ad diversa facinora non modo idem crimen, sed etiam ad idem facinus quam varia crimina adhiberi passi sint, apud omnes constat. Ceterum quae de hac re Platonis sententia esse videatur, infra ostendemus. — Deinde forsan sint qui verba „*βούλευσις φόνου*“ et „*βουλεῦσαι φόνον* vel *θάνατον*“ huic crimini parum convenire dicant, quum *βουλεύσας* neque necem voluerit, neque alteri ut necaret persuaserit. Sed etiam si eam solam *βούλευσιν ἄνευ προνοίας* esse censes, quam Philippius docet, idem quis obloqui poterit. Quamquam in lege illa Draconis dicitur: *αἰτιῶν φόνου* sc. *μὴ ἐκ προνοίας*, *ἢ βουλεύσεως* sc. *φόνου μὴ ἐκ προνοίας*. Itaque *φόνον βουλεῦσαι* mihi videtur fere dici pro *φονικόν τι* vel *θανάσιμόν τι βουλεῦσαι*.

Ceterum falso mihi videntur uti Herrlichius (Die Verbrechen gegen das Leben nach att. Recht. Berlin, Progr. des Humb.-Gymn. 1883) et alii significatione: *βούλευσις φόνου ἀκουσίου*. Apud ipsos quidem veteres scriptores plena significatio nusquam invenitur. Tamen rei naturam poscere puto ut dicamus: *βούλευσις φόνου ἀκουσία* aut *β. φ. ἄνευ προνοίας*, in quo verba *ἄνευ προνοίας* ad solam *βούλευσιν* referenda sint. Namque in hoc crimine nihil refert eum qui sua manu, sed eum qui suadendo necaverit inconsulte fecisse. Immo utrius-

que mortis auctoris *διάνοια* quae vocatur eadem fuerit haud necesse est. Tum enim alter *ἀκουσίως* subornare, alter *ἑκουσίως* vim inferre, tum alter *ἑκουσίως* subornare, alter *ἀκουσίως* interficere potest. (cfr. Berner, Lehre von der Theilnahme am Verbr. p. 292.) Atque quum de hujusce modi scelere sit oratio in novercam, hujus causae potius crimen, si ita re vera diceretur, *βούλευσιν φόνου ἀκουσίου* vocaremus. Noverca enim *ἑκουσίως* pellicem incitavit, haec *ἀκουσίως* interfecit, quum inscia venenum pro philtro ministraret.

Ejusmodi igitur quale exposuimus crimen fuisse mihi videtur, quo choragus qui orationem de chor. dicit accusatus est. Etenim miror quamobrem Philippio minimi momenti esse visum sit, quod nusquam reus adversus accusatores quidquam infesti et scelesti consilii se habuisse negat, nulla adversariorum verba inveniuntur, quibus choragus talis consilii insimuletur. Cave autem respondeas, quum orationem, qualem nunc habemus, mutilam esse constet, dubitari posse, an in illa quae interciderit parte accusatus de hac re verba fecerit. Argumentatio enim, quae quidem ad crimen ipsum attinet, tota exstat, neque post narrationem, quae est de accusatorum machinationibus, propter ordinem rerum ad crimen ipsum redire licebat. Et quum jam nullo negotio intellegatur Antiphontem, qui uberrimus esset in rebus inveniendis, probationes ex iis sumpturum fuisse, quae accusatores choragum scelere illo consectatum esse dixissent, siquidem tale quidquam insimulassent, etiam oratione de caed. Herod. hoc satis demonstratur. In qua (§§ 57—64) perspicue et copiose Mytilenaeus ille dicit de causis ac rationibus, cur Herodem interfecisse dicatur vel interficere potuerit, et singula refellit. Occurrunt etiam duo loci, ubi imprimis futurum fuisse opinor, ut de accusati consiliis dissereretur, si per criminis naturam licuisset. Ac prior quidem ille est, ubi choragus enarrat,

quemadmodum pueros ad chorum instruendum coegerit (§ 11). Hoc enim loco quid et facilius et aptius fuisset, quam eum quamvis breviter ostendere, se non arcessivisse puerum, ut quidquam infesti conaretur, sed quod Diodotus ad cantandum et saltandum idoneus esset visus. Similiter in oratione de caed. Her. reus inter narrandum, quo quidque loco aptius praesumitur, hoc argumentatur, quod res sine ipsius consilio infesto evenerint. (cfr. V §§ 21, 24.) Choragus autem quum de choro coacto dicit, non narrat nisi de universis choreutis et quam placide eos acciverit. Alter et praestantior ad demonstrandum locus est § 18: *ὁπόσα μὲν γὰρ λάθρᾳ πράττεται καὶ ἐπὶ θανάτῳ βουλευθέντα, ὧν μή εἰσι μάρτυρες, ἀνάγκη περὶ τῶν τοιούτων ἐξ αὐτῶν τῶν λόγων τῶν τε τοῦ κατηγόρου καὶ τοῦ ἀποκρινομένου τὴν διάγνωσιν ποιεῖσθαι, καὶ θηρεύειν καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα, καὶ εἰκάζοντας μᾶλλον ἢ σάφα εἰδότας ψηφίζεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων κτλ.* Hunc locum, quatenus eo de consiliis agitur, nemo non videt non modo nihil in hac causa probare neque ullo modo ad eam attinere, sed etiam chorago paene insolentiae tribuendum esse, si eum ullius doli mali, quem hodie vocant, argui censes. Sensum enim, quamquam § 19 mutila est, talem esse apparet: et causam et crimen ita se habere, ut judices subtiliter inquirere et verum conjicere non necesse sit. Neque verba illa: *ἐπὶ θανάτῳ* ad rem ipsam quidquam faciunt, sed „*θηρεύειν καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα*“ etc. oportet, ubi scelus clandestino qualicunque consilio commissum est, sive hoc vulnerationem vel similia sive necem spectavit. Quod vero haec tantum consilia reus commemorat, nihil miri habet, quoniam rarissime fit, ut qui alteri persuadeat, ut inimico venenum ministret, hunc mori nolit. Vel ferro vel pugno vel simili quodam uti solent, qui levius corporis damnum illaturi sunt. Atque hoc ipsum

etiam sententiam nostram de crimine choragi adjuvare videtur.

Sed ne ullam quidem causam probabilem cogitare possum, cur choragum Diodoto insidias conlocasse accusator dicere potuerit. An erunt qui inter virum compositae aetatis et puerum innoxii animi quidquam intercedere putent, quod ille veneno ulcisci possit? An censebimus Philocratem dixisse a reo esse puero vim illatam, quod ei cum ipsius familia inimicitiae fuissent? At §§ 20 et 34 legimus proximis post mortem Diodoti diebus accusatores familiariter et nulla cum suspicione chorago usos esse, quare neque ante mortem invidiam inter eos intercessisse probatur.

Itaque choragum accusatum esse existimaverim, quod neglegenter potionem imperasset, quam mortis periculum ferre meminisse debuisset. Atque tali crimini optime convenit enarratio, qua reus tantum demonstrat (§§ 12—13) sese de ejusmodi rebus prorsus nihil imperasse, sed omnem chori et exercendi et alendi curam ad certos homines, Amyniam et Phanostratum generum suum et alios quosdam detulisse. Verum etiam auctorem argumenti orationis vidisse existimo, qui accusatores hoc uno causam suam probare ait, quod pueri domi choragi exerciti sint. Apparet deinde accusatores intellexisse, ejusmodi crimen non tantam habere invidiam, qua judices persaepe ad condemnandum adducerentur, et propterea iram eorum ita concitasse, ut res a causa alienas immiscerent, et reum etiam in rebus publicis peccasse dicerent. (cfr. § 8 sqq.)

Deinde si jam quaerimus, quae in tali crimine poena fuerit, non possum quin contra Maetznerum Philippio assentiar, qui eam sicut in *φόνῳ ἀκουσίῳ* solum exilium fuisse docet. Recte enim monet neque in § 4, ubi accusatus cum pondere quodam dicat, quid sibi si condemnetur impendeat, neque ullo alio loco publicationem

bonorum commemorari, et in § 7 verbum *ζημιῶσαι*, quod Maetznero illam multationem significare videtur, nihil aliud notare, quam fere contrarium verborum *δικαίως τιμωρεῖσθαι* h. e. injusto damno afficere, atque explicari verbis quae sequuntur: *καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης*. Quod eo magis perspicitur, quod et cetera enuntiati verba egregie inter se respondent: *οὐκ ἐλέγξαντες — ἀλλὰ διαβαλόντες; εἴ τι ἀδικῶ — καὶ εἰ μηδὲν ἀδικῶ*. Herrlichius (l. c. p. 21 sq.) contra Philippium sententiam eorum denuo obtinet, qui Platonis auctoritate (cfr. Legg. IX. 865 E) *φόνου ἀκουσίου* poenam annuum exilium esse docent, quum Plato in hujusmodi rebus a legibus Atticis plerumque haud longe recedat.[1]) Quibus Philippius adversatur, quum Plato *φόνου ἀκουσίου* tria genera esse doceat, legibus Atticis unum tantum statui. At equidem non dubitaverim quin in ipsis judiciis culposum quod vocatur homicidium, quale in tetralogia altera juveni crimini datur, ab illo genere discretum sit, quod ipse Philippius fieri docet, si quis quamvis vulnerare tantum voluerit, tamen occidat, sicut tertiae tetralogiae accusatus fecit, neque par exilium utriusque generis poena esset.

Quod denique ad hoc attinet, quos apud judices *βούλευσις ἀκουσία* judicata sit, sententia eorum, qui eam ad ephetarum collegium pertinere arbitrati sunt, optime probatur lege illa Draconis. Ceterum Lipsius (l. c.) eam sic interpretatur, ut de *βουλεύσει ἑκουσίᾳ* areopagum judicasse veri simile sit.

Huc usque jam quaestionem deducere volui, priusquam pauca verba contra Passowium facerem, qui nuper in libello qui inscriptus est: De crimine *βουλεύσεως* (diss. Gott. 1886) singularem de hac re sententiam protulit. Is vir doctus omnino negat *βουλεύσεως* crimen

---

1) cfr. Thalheim, Gr. Rechtsalterth. p. 43.

tale esse, quod „intellectuelle Urheberschaft“ vocari possit. Ut mihi quidem videtur, injuria. Quamquam omnia quae contra communem opinionem disputat, refutare mihi nunc in animo non est. Pauca tantum eaque majora et quae ad rem nobis propositam proxime accedant, tentare liceat.

Maximi in hac re momenti esse illum quem memoravimus locum Andocidis (I. 94) etiam Passowio probatur. Quo loco ut non duo homines, sed duas occidendi rationes inter se opponi demonstret, dicit (p. 10) haec: „Intellego: *ὁ βουλεύσας* est Meletus, neque enim ille ipse occiderat Leontem; ubi autem est tandem maleficus alter qui caedem perfecit —? Perfecit caedem carnifex; in judicium autem, ut opinor, non vocatus est, liber est ab omni poena etc.“ Quid tandem refert in hac causa *αὐτόχειρα* illum in judicium vocari non posse? Quid omnino in aliis causis? *Χειρὶ ἐργασάμενον* poena dignum esse in plena *βουλεύσεως* notione haud necesse est. (cfr. Berner l. c. p. 282.) An quem subornatorem esse negabimus, quod is quem ad homicidium incitaverit, amens sit neque ideo puniri possit? Deinde probare conatus verba: *χειρὶ ἐργάζομαι* non significare: ipse perficio Passowius de or. de chor. § 16 ita disputat, ut lectionem quam codices exhibent: *χειρὶ ἀράμενος* retinendam eamque sic interpretandum esse dicat: „non manu eum occidi, non cruenta caede necavi.“ Quis est cui tale accusati responsum probetur? Paene dixi Passowium sibi persuadere debere quale ipse (p. 16) profert: choragum negare se poculo in quo venenum inesset puero caput infregisse. — Utcunque se illud habet, summa Passowianae disputationis haec est, ut *αὐτοχειρίας* notionem, qualis nobis probatur, restringat, *βουλεύσεως* latius patere dicat. Atque verba *βουλεύειν, βουλευτής, ἐπιβουλεύειν*, similia non semper subornationem ad necem, sed etiam scelestum homicidae consilium significare jam Philippius (l. c. p. 26)

probavit. Passowius autem legis illius quae apud Andocidem exstat verbum βουλεύσαντα (p. 17) sic interpretatur: „cum quis insidias machinatus quaslibet clandestinas mortem paraverit", totam legem (p. 18) sic: „si quis insidiose machinatus interfecit alterum, in eodem teneatur ac si cruentam caedem fecisset." Similiter jam Hefterus (Ath. Gerichtsverfassg. 1822, p. 140) βούλευσιν accepit pro „Meuchelmord und hinterlistige Tödtung". Sed quomodo tandem cum tali definitione convenit quod ipse Passowius (p. 22) docet: „ubi duae sibi opponuntur rationes χειρί — βουλεύσας, in hoc de dolo malo nihil inest, non plus inest quam in priore illo χειρί; solum agitur de rationibus manifesta — nec manifesta"? At opponuntur in lege Andocidea, ubi verbum βουλεύσας interpretatur: insidiose machinatus. Praeterea Andocides adversus Meletum, quippe qui ἑκουσίως fecerit, legem proferre non potest, qua de dolo malo non agitur. Atque quam ob rem censeat, quoties αὐτόχειρ et βουλεύσας inter se opponantur, in hoc nihil doli mali inesse, equidem non invenio, nisi propter or. de chor. §§ 16 et 19 ita judicat, quae hercle tale quidquam non probant. — Pergit Passowius (p. 23) sic: „nemo ut opinor dubitabit quin imprudenter quis possit alterum interficere ratione non manifesta", atque tale aliquid βούλευσιν ἄνευ προνοίας esse judicat. Exempli causa affert quod in Platonis Euthyphr. 4 enarratur: Euthyphronis pater hominem, qui servum ejus occiderat, cruribus manibusque ligatum in fossam injecerat, miseratque Athenas qui ab exegetis quaererent, quid illi homini faciendum esset. Quorum ante reditum ille in fossa fame ac frigore obiit. At mihi quidem vincula et in fossam injectio, quamquam haec sola mortis causa non fuit, ratio esse videntur satis manifesta. Deinde quid Euthyphronis pater fecit, quod βουλεύειν appellare possimus? Quod verbum, ut mihi quidem videtur, aut significet necesse est: suadeo alicui

aliquid, sum „intellectueller Urheber“, in quo *βούλευσις ἀκουσία*, ut supra ostendimus, cogitari potest, aut: meditor, machinor aliquam rem, sicut *ἐπιβουλεύω*, in quo consilium abesse nequit. — Arcessit Passowius etiam Platonis legg. IX., docetque ubicunque illic *αὐτόχειρ* et *βουλεύσας* commemoretur, hoc revocandum esse ad 864 C: *τὸ μὲν διὰ βιαίων καὶ ξυμφανῶν πράξεων πραττόμενον ἑκάστοτε .... τὸ δὲ μετὰ σκότους καὶ ἀπάτης λαθραίως γιγνόμενον*, atque haec ea ipsa esse, quae sibi *αὐτοχειρία* et *βούλευσις* significare videantur, rationem manifestam nec manifestam. Atque hic locus sane prima quidem specie Passowium adjuvare videtur. Sed ut hoc vel maxime concedam, quomodo illa partitio ad Platonis enumerationem scelerum referenda sit, vel num omnino, parum me intellegere, tamen ad omnia genera quae profert revocari posse mihi non videntur. Priusquam enim Plato ad ipsas leges capitales constituendas adgrediatur, de animi impulsionibus ac rationibus disserit, quibus scelera committi possint. Peccari autem posse ait aut *ἀγνοίᾳ* aut *θυμῷ* aut *ἐπιθυμίαις*. Ex his tribus rationibus ordinem fluxisse apparet, quem in enumerandis sceleribus sequitur. Tractat enim 864 D – 866 D homicidia *ἄνευ προνοίας* commissa, 866 D—869 C *θυμῷ* commissa, (869 C et D si quis se defendens necat), 869 E — 873 C *φόνον ἑκούσιον*. i. e. *ἐπιθυμίαις* commissum. Ad secundum illud genus, *φόνους θυμῷ γεγονότας*, et ad eos quidem potissimum, quos Plato *θυμῷ μὲν, ἀπροβουλεύτως δέ* fieri docet, fere pertinere existimaverim ea scelera, quae ex Philippii sententia alteram *φόνου ἀκουσίου* speciem efficiunt, si quis necat, ita tamen ut vulnerare vel simile quid voluerit. Nam qui *ἀπροβουλεύτως θυμῷ* interficit, dubitandum est utrum interficere in animum induxerit necne. Deinde generi *φόνου ἀγνοίᾳ γεγονότος* adnumeranda haud dubie sunt tum homicidia ab iis commissa, qui mentis suae parum compotes sunt, tum ea

quae errore et casu, sed nulla nefaria neglegentia facta sunt, tum ea quae quamquam errore et casu, tamen scelesta neglegentia. De prima specie disserit philosophus 864 D, de altera 865 A et B, de tertia 865 B — 866 D. Atque haec ipsa continet scelera quae nos culposa vocare solemus. Iis igitur non convenire apparet illud „*μετὰ σκότους καὶ ἀπάτης*“. Attamen Plato in iis *βούλευσιν* commemorat 865 B: *ἐὰν δὲ αὐτόχειρ μέν, ἄκων δὲ ἀποκτείνῃ τις ἕτερος ἕτερον, εἴτε τῷ ἑαυτοῦ σώματι ψιλῷ εἴτε ὀργάνῳ ἢ βέλει ἢ πώματος ἢ σίτου δόσει ἢ πυρὸς ἢ χειμῶνος προσβολῇ ἢ στερήσει πνεύματος, αὐτὸς τῷ ἑαυτοῦ σώματι ἢ δι' ἑτέρων σωμάτων, πάντως ἔστω μὲν ὡς αὐτόχειρ, δίκας δὲ τινέτω τοιάσδε κτλ.* Hoc loco in iis quae verbis *εἴτε — εἴτε αὐτοχειρίας* notioni tamquam subjuncta sunt, scelera inveniuntur, quae ex Passowii sententia *βουλεύσει* adnumeranda sunt: *πώματος ἢ σίτου δόσις* („ratio non manifesta“), *πυρὸς ἢ χειμῶνος προσβολή*, et *στέρησις πνεύματος* („nex non cruenta“). Suntne igitur ea quoque *αὐτοχειρίας* species, quae Plato *τῷ ἑαυτοῦ σώματι ἢ δι' ἑτέρων σωμάτων* fieri docet? Quod si ita esset, quid vellet sibi illud: *πάντως ἔστω μὲν ὡς αὐτόχειρ*? Hoc igitur philosophus tantum addere mihi videtur, quum eos quoque memoraverit qui *δι' ἑτέρων σωμάτων* occidant, quippe quos in hac jam sententia commemoraturus esse scriptor in exordio (*ἐὰν δὲ αὐτόχειρ μέν*) non sibi ipsi visus sit. Quare equidem persuasum habeo, *αὐτόχειρα* esse qui *τῷ ἑαυτοῦ σώματι*, sua ipsius manu occidat, eum qui *δι' ἑτέρων σωμάτων*, qui manum a facinore abstineat, ideoque suadendo mortis auctor sit, *βουλεύσαντα*. Atque ut hoc iterum moneam, quum toto hoc loco de culposa tantum nece agatur, agitur etiam de culposa *βουλεύσει*, quali crimine choragum illum accusatum esse suspicati sumus. Nondum igitur accedo Passowii sententiae, qui (p. 43) „par illud nobile fratrum (intellectualem et physicum

auctores) remissum ad eburneam somniorum portam" esse ait.

Nuper J. A. Heikel in libello qui inscriptus est: Über die sie sog. *βούλευσις* in Mordprocessen (Helsingf. 1886) crimina *βουλεύσεως* propriam causarum capitalium formam ac rationem effecisse negavit. Cujus disputationem, quod valde doleo, nondum adire mihi licuit.

II. De oratione mutila.

Quicunque attentius orationem de chor. perlegit, facere non potest quin et eam multas gravesque corruptelas expertam censeat, et Maetznero ne totam quidem traditam esse concedat. Quanta autem perierit pars et quid continuerit, alios aliter sentire video. Maetznerus et Linderus (De rer. dispos. apud Ant. et Andoc. or. Att., Upsaliae 1859) epilogum tantum intercidisse docent, Spengelius contra (in Diurn. Acad. Bav. 1838 p. 352) non modo illum, sed partem quoque quandam deperditam esse judicat, qua orator istas criminationes refellerit, quae ad ipsam causam non attinerent. Quae sententia Blassio parum placuit. In libro enim qui est de eloquentia Attica (²I. p. 199), postquam argumentum orationis proposuit, disputat haec: „Freilich hat man in neuerer Zeit bestritten, dass dies der ursprüngliche Schluss schon gewesen sei. Darauf zwar kann ich nur geringes Gewicht legen, dass der Sprecher im Anfang eine Vertheidigung auch gegen die anderweitigen Vorwürfe versprochen hat; denn jenes Versprechen ist nur bedingt, und das Gewicht fällt dort darauf, dass er in erster Linie sich über die Sache selbst auslassen will. Anders ist es, wenn in Isaios' elfter, gleichfalls am Schluss der Sammlung stehender Rede eine bestimmte Disposition

gegeben ist, die dann nachher theilweise unausgeführt bleibt. Hier aber konnte der Sprecher recht wohl später einen andern Gang einschlagen, als er früher beabsichtigt und angedeutet hatte, und manches ausserhalb der Sache Liegende ist auch beiläufig schon vorgekommen." (In adn.: „Der Zweck, die Gegner zu beschämen, wird auch jetzt erreicht; wenn die Gegner seine Choregie angegriffen hatten, so ist die Vertheidigung dagegen in der Erzählung geführt, und auch seine Anklagen gegen Philinos und die Übrigen sind erwähnt worden.") „Andrerseits war eine Verstümmelung gerade bei dieser letzten Rede leicht möglich, und das Gesetz der Kunst, dem Antiphon sich sonst nicht entzieht, verlangte noch einen Epilog mit Bitten an die Richter. . . . . Jedenfalls war mit einem kurzen Schlusswort aller Form genügt. . . . Ganz unwahrscheinlich ist mir jedenfalls, dass zunächst noch eine als solche eingeführte Abschweifung auf fremdartige Dinge folgte, mit geradezu anstössigem Herabsinken von der erreichten Höhe des Beweises." Wagenerus autem, qui hoc ipsum reprehendit, quod criminationes a causa alienae non refellantur, Blassii sententiam sic vituperat: „Il est vrai, inquit, que la fin du discours s'est perdu, mais tous les commentateurs sont d'accord qu'il n'y manque tout au plus qu'une prière adressée à l'Aréopage. Blass considère cette omission comme peu importante, parce que l'intention de l'accusé de rencontrer ces imputations accessoires n'est énoncée que d'une façon hypothétique (*ἐὰν ὑμῖν ἡδομένοις*); mais il m'est impossible de me rallier à cette manière de voir. En effet, il ne s'agit pas ici d'une improvisation, de sorte que l'orateur ne devait pas nous faire entrevoir une argumentation subsidiaire qu'il était décidé d'avance à ne pas employer." Recte Wagenerus monere mihi videtur, orationem non ex tempore esse dictam. Etenim apud ipsum Blassium legimus alios quoque oratores simulare, ex arbitrio eorum

qui audiunt pendere, num quid et quo quidque loco dicant. Ejusmodi dicendi figuras non modo urbanitatis speciem prae se ferre, sed etiam efficere, ut orator ex tempore dicere videatur et causae suae admodum confidere. (cfr. Dem. d. cor. 11.) Quae cur hoc loco non item se habeant, equidem non video. Quid tandem choragum prohibuisse dicemus, ne istas quoque criminationes refutaret? Wagenerus quidem qui causam ad areopagum attinere putat (cfr. Blass. ¹I. p. 192), propter hoc ipsum forsan dubitaverit, ex eo quod reprehendit id concludere, quod neque ullam dubitationem habere et necessarium esse existimaverim. Nam cetera quoque argumenta, quibus Blassius rem tam consentaneam repudiat, infirmari posse videntur. Atque primum quidem hoc maximum pondus habere ait, quod accusatus primum de ipsa causa dicturus sit, §§ 7—8: *Ἐγὼ δέ, ὦ ἄνδρες, οὐ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχω περὶ τῆς ἀπολογίας, ἥνπερ οἱ κατήγοροι περὶ τῆς κατηγορίας. οὗτοι [μὲν] γὰρ τὴν μὲν δίωξιν εὐσεβείας ἕνεκά φασι ποιεῖσθαι καὶ τοῦ δικαίου, τὴν δὲ κατηγορίαν ἅπασαν πεποίηνται διαβολῆς ἕνεκα καὶ ἀπάτης, ὅπερ ἀδικώτατόν ἐστι τῶν ἐν ἀνθρώποις, καὶ οὐκ ἐλέγξαντες, εἴ τι ἀδικῶ, δικαίως με βούλονται τιμωρεῖσθαι, ἀλλὰ διαβαλόντες, καὶ εἰ μηδὲν ἀδικῶ, ζημιῶσαι καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης. ἐγὼ δὲ ἀξιῶ πρῶτον μὲν περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἀποκρίνεσθαι, καὶ διηγήσασθαι ἐν ὑμῖν τὰ γενόμενα πάντα· ἔπειτα περὶ τῶν ἄλλων ὧν οὗτοι κατηγοροῦσιν, ἐὰν ὑμῖν ἡδομένοις, βουλήσομαι ἀπολογήσασθαι, ἡγοῦμαι γάρ μοι τιμὴν καὶ ὠφέλειαν αὐτὰ οἴσειν, τοῖς δὲ κατηγόροις καὶ τοῖς ἐπηρεάζουσιν αἰσχύνην.* Sed § 7 non dicitur nisi de universa accusatione, et sensus, ut brevibus eam complectar, talis est: accusatores aliud volunt atque se velle dicunt, calumniari volunt, ut me injusta poena afficiant. Haec tam in universum dicta esse apparet, ut ad quamlibet causam apposita sint. Quum praeterea sententia tam distincta habeat antitheta,

tam egregiam componendi concinnitatem, qualia in hac quidem oratione praeter locos communes rarius inveniantur, illam quoque sententiam exceptis verbis: *καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης* locum communem esse judicaverim, quod ne ipse quidem Blassius rejiciet. (cfr. ²I, p. 197 adn. 1; Ant. VI, 47 extr. = V, 84 extr.) Quod si ita est, non exspectabimus hanc sententiam eamque quae sequitur (§ 8) in singulis accurate inter se respondere atque oppositas esse. Recte etiam codices non habent illud *μέν* inter verba *οὗτοι γάρ* (§ 7), quod sententias distinctius inter se oppositas esse significet. Atque mihi quidem omne hujus loci contrarium in eo versari videtur, quod accusatus se non, ut accusatores fecerint, mentiri et calumniari, sed ex vero omnia referre velle dicat. Quamquam ne hoc quidem propriis verbis expressum est, tamen id fere significare videntur verba: *καὶ διηγήσασθαι ἐν ὑμῖν τὰ γενόμενα πάντα,* quum jam orator ad proponendam materiae partitionem properet. Quamobrem verbis *ἐγὼ δὲ πρῶτον μὲν κτλ.* tanta vis tribuenda mihi non videtur. Utcunque est, dubitaverim etiam num defensio de rebus alienis facilius desiderari possit, quia de his accusatus postea dicturus sit. Neque enim quod extremo loco dicimus, id minimi momenti esse semper judicamus. — At Blassius multas res a causa alienas in orationis parte, quam nos habemus, commemorari dicit, et eadem parte etiam effici, ut adversarios accusationis pudeat. Sane quidem efficitur, quum choragus de accusatoribus pecunia corruptis ac deinde sibi reconciliatis enarrat. Quamquam hoc ita sese effecturum perspicuis verbis dicit, ut de rebus a causa alienis respondeat. Neque etiam id sibi ipsi effecit, quod *τιμὴν καὶ ὠφέλειαν* appellat, quodque mea quidem sententia potior causa est, cur de istis rebus verba facere debuerit. Accusatos enim non tam hoc consectari oportet, ut ignominiam adversariis inferant, quam ut ipsi laudentur vel

culpa certe carere existimentur. — Tum quae accusatores de choragia criminati sint, etiam narratione choragi, quam nos habemus (§§ 11—14), vir doctus satis refelli ait. Attamen ita judicare non licet, nisi quae fuerint ista crimina cognovimus. At nescimus. Neque vero narratio videtur ad illum finem satis copiosa, sed maximam partem talis esse, quae choragum initio ab omni exercendi chori cura se abstinuisse demonstret. Atque Blassius etiam illas causas Aristionis et ceterorum hominum commemorari argumentatur. Quae esse illa putare videtur, quae orator memorat obiter verbis: (*εἴ τι ἠδίκουν . . . ἢ) ἐν ἄλλοις τισίν.* Neque tamen hoc ullo modo probabile est. An Philocratem accusatum provocasse putabimus, ut ea enarraret, quae sine ipsius damno et ignominia narrari non possent? — Denique non possum quin aliquid proferam, quod quamquam per se forsan haud ita multum valeat, cum ceteris tamen conjunctum aliquam vim habere videtur. Harpocration enim quum s. v. *Λιπόλια* hoc ipsum verbum in oratione de chor. legi dicat, nos tamen non invenimus. Ad quod Blassius adnotavit, hoc verbum in prima tetralogia (*Α δ* 8) esse, et quum Harpocration haud raro locos confundat ac perturbet, etiam de hujus verbi loco eum errasse videri. Sed equidem ita censendum tum demum fore puto, si orationem totam esse traditam constaret. Quod quum nemini fere probetur, hac quoque re sententia mea adjuvatur. Facile enim est conicere hoc verbum in ea parte fuisse, qua accusatus de choragia vel aliis rebus publice gestis se defenderit.

Jam vero investigemus num pars orationis deperdita jam a rebus illis a causa alienis inceperit, ideoque ubi pars quam nos habemus desinat, intervallum quoddam sit et tamquam finis. Quod prima quidem specie ita videtur. Attamen extremam paragraphum Philippius (l. c. p. 31) additamentum et subditivam esse docuit. Quum

enim orationem mutilam esse constet, mirum esse hoc enuntiatum valde copiosum, quodque perorationis speciem prae se ferat. Eandem autem sententiam jam § 49 iisdem fere verbis expressam esse, ita tamen ut multo artius ad id de quo agatur apta sit. Itaque librarium quendam, ut orationi aliquid epilogi simile adstrueret, extremam paragraphum addidisse, quam ex § 49 maximam partem transscriptam esse appareat. Quae sententia equidem miror quomodo Blassio displicuerit (²I, 199 adn. 3). Nam quod § 51 ab Antiphontis consuetudine non recedere videtur, ipsa iteratione illa effici apparet, quum quae locus propria habet tam exigua sint, ut de eorum auctoritate judicare non liceat. Neque quemquam qui extremam orationis partem accurate legat atque istas paragraphos conferat, verba illa iterum dicta non moleste ferre opinor.

§ 49 *οὗτοι γὰρ ποίαν δίκην οὐ δικάσαιντ' ἂν, ἢ ποῖον δικαστήριον οὐκ ἐξαπατήσειαν, ἢ τίνας ὅρκους οὐκ ἂν τολμήσειαν παραβαίνειν, οἵ τινες καὶ νῦν . . . . ὅρκους τοιούτους διωμόσαντο κτλ.*	§ 51 *ποῖον οὖν δικαστήριον οὐκ ἂν ἔλθοιεν ἐξαπατήσοντες, ἢ τίνας ὅρκους οὐκ ἂν τολμήσαιεν παραβαίνειν οὗτοι οἱ ἀνοσιώτατοι, οἵ τινες . . . . ἐφ' ὑμᾶς ἥκουσιν ἐξαπατήσοντες εἰ δύναιντο, ὅρκους τοιούτους διομοσάμενοι.*

Deinde ex re esse videtur inquirere, quam orationis partem §§ 48—50 esse dicamus. Etenim § 48 oratorem ad novum quendam locum transire ex eo apparet, quod et tota narratio et argumentatio, quae incipit a § 33, perfecta et absoluta est, et § 47 tamquam perorationis speciem praebet. Eodem modo, immo iisdem verbis: *καὶ οἱ μὲν ἄλλοι ἄνθρωποι* etc. orator in oratione V § 84 argumentationis de signis divinis finem facit, quibus ea tamquam aculeum in audientium animis relinquat. Suntne igitur §§ 48—50 novus argumentations locus? At orator iis nihil proprie argumentatur, nihil iis probatur, vel

accuratius enarratur, testimonia nulla proferuntur. An est ejusmodi pars, qua argumenta quae jam allata sunt colligantur et cumulentur? Sed de pluribus rebus ibi agitur, quam quae hactenus orator dixit; agitur etiam de Philocrate nuper a poletis et poristis et practoribus corrupto. Ergo mihi § 48 certe quaedam prothesis quae vocatur esse videtur, quali Antiphon et in V. et in hac oratione, ubi ad novum argumentandi locum transit, saepius utitur (cfr. V. 8, 19, 60, 74—76, 81, VI. 7—8, 33). Quum jam Reiskius in § 49 aliquid deesse suspicatus sit, atque Wagenerus § 48 potius post §§ 50 et 51 locum suum habere dicat, quod ubi illa nunc sit male argumentetur oratio, isto modo eorum sententias temperandas esse existimaverim. Neque § 49 apte ad § 47 adjungi potest, neque § 48 omnino argumentatur. Etenim si jam perlustramus § 48 verba: *καίτοι εἰ μηδὲν ἄλλο μήτε εἶπον μήτε ἀπέφηνα μήτε μάρτυρας παρεσχόμην, ἀλλὰ [αὐτὰ] ταῦτα ὑμῖν ἀπέδειξα, τούτους ὅπου μὲν χρήματα λαμβάνοιεν ἐπ' ἐμοὶ, αἰτιωμένους καὶ προαγορεύοντας, ὅπου δὲ μὴ εἴη ὁ δώσων, συνόντας καὶ διαλεγομένους, ἱκανὰ ἦν καὶ αὐτὰ ταῦτα ἀκούσαντας ἀποψηφίσασθαι καὶ τούτους νομίζειν ἐπιορκοτάτους καὶ ἀνοσιωτάτους πάντων ἀνθρώπων,* modum optativum quo orator utitur iterativum quem vocant esse apparet, quum post Diodoti mortem accusatores bis familiariter chorago usi sint, primum proximis post mortem diebus, deinde post reconciliationem, bis etiam ut eum reum facerent pecuniam acceperint, primum ab Aristione et Philino, nuper, ut § 49 dicitur, a poristis, poletis, practoribus. Atque hoc ipsum § 48 prothesin esse probat, quod quae ea dicuntur, ex iis quae subsequuntur intellegenda sunt. Quodsi utrarumque insidiarum narrationi tantam vim tribuit orator, ut ipsum crimen refelli non opus fuisse dicat, censebimus eum tamquam in mediis rebus subsistere? Nisi forte eum sic fere dicere putas: illa sola

demonstrasse sufficeret ad refutandum crimen; tamen non plane demonstrabo. Neque enim, quum § 48 dicat: *εἰ ὑμῖν ἀπέδειξα*, hoc quod §§ 49 et 50 profertur *ἀποδεδειγμένον* appellari potest. Quae paragraphi insuper ita sunt enuntiatae, ut non tam ipsae in media narratione versari videantur, quam orationem ad eam deducere, ita quidem ut quae prothesi dicta sunt, maximeque verba: *τούτους νομίζειν ἐπιορκοτάτους* etc. exponant atque explanent. Neque poterant judices hoc loco non magna exspectatione affici, quonam modo altera haec machinatio facta esset et quomodo probaretur. Recte sane, quum haec plus ad rem facere videretur, quam prior illa quam Philocrates nequiquam molitus esset. Non igitur mihi quidem videtur orator judices de hac re gravissima paucis illis verbis edocuisse quae § 49 leguntur. Neque choragus, quum etiam accusatores triginta minas accepisse resciat, et § 50 rem satis apertam esse dicat, de hisce insidiis adeo non edoctus esse videtur, ut eas probare vel plura de iis verba facere non possit neque audeat.

Itaque et § 51 subditiciam esse, et post § 50 narrationem quamvis fortasse brevem de Philocrate a poristis et poletis pecunia corrupto ejusque rei aliquam probationem, deinde de rebus a causa alienis expositionem fuisse, denique epilogum secutum esse existimaverim.

III. De rebus quibusdam addubitatis.

Wagenerus orationem de chor. subditiciam et ab inerudito falsario recentioris aetatis conscriptam esse ratus, imprimis totam causam, in qua oratio versatur, parum credibilem esse probare studet. Ac primum quidem quod auctor argumenti conjecit: *εὐφωνίας χάριν ἔπιε τὸ φάρμακον*, cum Blassio hoc laudat (p. 93) sic:

„C'est en effet la seule hypothèse admissible.“ Deinde vero duobus Quintiliani (XI, 3, 22 sqq.) et Suetonii (Ner. 20) locis adlatis non constare ait ante Caesarum aetatem in usu fuisse, ut cantatores exquisitis et insuetis medicamentis vocem suam perfectiorem redderent. At hoc modo hercle non fas est orationis auctoritatem labefactare. Neque enim nobis, qui eam defendimus, probandum est hanc rem in usu fuisse, sed ii qui eam impugnant, testimonia proferant, quibus eam non in usu fuisse demonstretur. Quod aegre quemquam comprobaturum esse puto. Recte quidem Wagenerus neglexisse videtur locum a Maetznero citatum, Plut. de glor. Ath. 6: *οἱ δὲ χορηγοὶ τοῖς χορευταῖς θριδάκια καὶ σκελλίδας καὶ μύελον παρατιθέντες εὐώχουν ἐπὶ πολὺν χρόνον φωνασκουμένους καὶ τρυφῶντας.* Nam exquisitis illis cibis non medicamenta vocis, sed luxuriam epularum significari apparet. Deinde quum Wagenerus apud veteres scriptores talia tantum medicamina commemorari dicit, quae ad certam quandam victus rationem pertineant, hoc ipso non efficitur, alia in usu non fuisse. Praeterea vir doctus suspicatur istis remediis non choreutas, sed tantum cantandi artifices usos esse, Aristot. Problem. loco (XIX, 15) confisus, ubi cantus *ἀγωνιστῶν* a choreutarum cantibus diversissimos multoque difficiliores fuisse perhibetur. At quovis medicamento nihil aliud effici potuisse apparet, quam ut vox clarior atque acutior fieret, id quod haud dubie in choreutis non minus quam in illis cantandi artificibus desiderabatur.

Deinde offendit Wagenerus in § 21 verbis: *ἀναβὰς εἰς τὴν ἡλιακὴν* (ita codd.; *ἡλιαίαν* Taylor, Jernstedt, alii) *τὴν τῶν θεσμοθετῶν.* „En admettant même“, inquit, „avec Taylor qu'il faille lire *ἡλιαίαν* au lieu de *ἡλιακήν*, cette conjecture ne nous avance guère. Comme il n'existait qu'une seule heliée, il est étonnant que l'orateur ait cru devoir la déterminer par l'adjonction des mots

τὴν τῶν θεσμοθετῶν.“ Fugit virum doctum prorsus eadem verba in inscriptione illa redire, quae de Atheniensium cum Chalcidensibus foedere lapidi incisa est anno Ol. 83, 3 = 446/5 a. C. (C. I. A. IV. 27 a.) Quamquam Lipsius (Att. Proc. I. p. 176 c. not. 69) nostrum locum ab illo ita recedere docet, ut primum quidem orator non ipsum heliastarum collegium significet, quod eo dic praesidibus thesmothetis judicaverit, sed veterrimum illud tribunal, prae ceteris *ἡλιαίαν* nuncupatum, ubi imprimis thesmothetae jus dicere soliti sint. — „D'ailleurs, Wagenerus porro disputat, les Thesmothètes non rien à voir dans cette affaire. Et qu'on ne dise pas que Philocrate s'était adressé à eux, en leur qualité de magistrats instructeurs, afin d'arrêter l'action qu'il avait intenté à Philinus et à Aristion (VI § 21). On voit, en effet, l'accusé se mettre directement en rapport avec les juges: *ἀναβὰς ἐγὼ εἰς τὸ δικαστήριον τοῖς αὐτοῖς δικασταῖς ἔλεξα.*“ Sed primum quidem ex ipsius § 21 verbis quamvis corrupta vel mutila sint: *ὅτι τὸν μὲν νόμον οὐ δίκαιον οὐ προκαθισταίη κτλ.* effici mihi videtur Philocratem a thesmothetis petivisse, ut causas quas choragus ad eos detulisset, differrent atque procrastinarent. Ad quod choragus respondit, Philocratem eam tantum causam spectare videri, quae postero et tertio die sibi cum Aristione et Philino futura esset. Deinde non propriis verbis narratur Philocratem ad judices verba fecisse (*ἔλεξε . . . . ἀναβὰς εἰς τὴν ἡλιαίαν τ. τ. θ.*). Quod vero se ipsum hoc fecisse reus narrat, equidem non miror, ut infra ostendam. — Wagenero hoc quoque parum probabile videtur, quod Philocrates in thesmothetarum judicio nescio quam actionem turbet atque dirumpat, paulo post etiam accusatus adsit et Philocratem redarguat et ad testes proferendos provocet. Sed hoc certe dubium est, num inter ipsam aliquam actionem Philocrates quae vellet protulerit. Quod autem paulo post

etiam choragus ibidem adfuit, a veri simili recedere non videtur. Quum enim coram judicibus Philocrates causam suam proferret, nonne facillime aliquis in tanto hominum numero inveniebatur, qui choragum, notissimum haud dubie et spectatae honestatis virum, de tanto crimine quam celerrime certiorem faceret, ut amicorum mos est? Nam qui quidem proximo die eum in curia securum cum Philocrate conloquentem viderant (§ 40), eum se veneficii argui nescire intellegebant. Choragus deinde in judicium properavit, non tam, sicut par erat, ut sibi postero die accusare liceret, quam ut calumniam illam illico coram iisdem plane refelleret, qui eam primi audivissent. Quare quum ei minus cum thesmothetis res esset, ad judices potius tum verba fecit, ut hi se omnis culpae nescium esse existimarent. Ea igitur de causa accusatum dicere puto, sese statim coram iisdem judicibus suspicionem sustulisse, apud quos sibi a Philocrate illata esset: *τοῖς αὐτοῖς δικασταῖς ἔλεξα.* Itaque mea quidem sententia ex his verbis concludi nequit Philocratem quoque verba ad judices potius quam ad thesmothetas fecisse. — At Wagenerus rationem qua Philocrates ad procrastinandam peculatus actionem usus sit, ut falsam vituperat: „Ce qu'il y avait à faire, si l'on voulait empêcher l'accusé de poursuivre son action contre Philinus et Aristion, c'était d'obtenir contre lui, de la part de l'Archonte-Roi, une défense d'ester en justice (*ἀπογραφή* „[dicitur *παραγραφή*!]“), et de lui opposer cette exception d'incompetence. Mais c'est seulement le lendemain que Philocrate et ses coaccusateurs s'adressent à l'Archonte *Βασιλεύς*. Cela résulte clairement des §§ 37 et 38.“ Recte sane. Quamquam ratio illa parum legitima, qua accusator usus est, mihi quidem a probabilitate minime recedere videtur. An quis est quin Philocratis criminationem admodum temerariam, fallaciam nimis perspicuam esse concedat, quum argumenta probabilia fere nulla protulisse vide-

atur? Quid si ipse tum causam suam obtinere desperavit? Nihil sane antiquius habebat, quam ut actionem peculatus procrastinandam curaret. Quod si effecerat, haud dubie tale quid accidere poterat, ut cum chorago litigare jam non opus esset. Ea de causa equidem non miror Philocratem a thesmothetis petivisse, ut vel injussu regis actionem procrastinarent. Quod ubi iis non persuasit, tum demum libellum accusatorium ad regem deferre necesse fuit. — Deinde Wagenerus conlatis verbis § 23: *προυκαλούμην αὐτὸν εὐθὺς τότε καὶ αὖθις τῇ ὑστεραίᾳ ἐν τοῖς αὐτοῖς δικασταῖς* cum §§ 37 et 38: *πρόθυμοι ἦσαν ἀπογράφεσθαί με εὐθὺς τῇ ὑστεραίᾳ ᾗ ὁ παῖς ἐθάπτετο — ἐπειδὴ δὲ αὐτοῖς ὁ βασιλεὺς τοὺς νόμους ἀνέγνω κτλ.*, quod Philocrates eodem die et coram thesmothetis et coram rege compareat, suspicari se ait auctorem orationis regem thesmothetarum collegio adnumerasse, memoratque multo recentiore aetate omnes simul archontes Atheniensium thesmothetas appellatos esse. Attamen neque Philocratem in altera illa *προκλήσει* adfuisse necesse est, neque si adfuit, equidem video, cur orator eum a thesmothetis ad regem se contulisse propriis verbis enarrare debuerit.

Miror sane ego quoque sicut Wagenerus, quomodo factum sit, ut Aristion et Philinus ceterique tribus postremis anni mensibus causas capitales deferri non posse ignorarent. Quamquam quum iidem etiam antea simili modo judicium effugere conati sint (cfr. § 36), propterea eos rerum judicialium peritissimos fuisse, quod vir ille doctus vult, conici non necesse est. Neque ei assentior scribam thesmothetarum, qui unus ex iis erat, etiam magis quam ceteros de illis rebus edoctum esse debuisse, quae ad archontem regem pertinerent.

Venimus ad ea quae Wagenerus in § 45 offendere dicit: „Puis viennent des indications topographiques dont l'Aréopage pouvait fort bien se passer, et qui, lorsqu'on

les compare avec les témoignages des auteurs et des inscriptions, ne paraissent pas même rigoureusement exactes. Nous connaissons, en effet, *Ζεὺς Βουλαῖος*, *Ἄρτεμις Βουλαία* (C. I. Gr. n. 113), *Θέμις Βουλαία*, *Ἑστία Βουλαία*, mais nulle part il n'est fait mention d' *Ἀθηνᾶ Βουλαία*.“ Attamen hoc tale est quod non demonstret, auctorem orationis harum rerum inscium fuisse, sed nosmet ipsos esse non satis edoctos, ut in hanc rem inquirere possimus. Ceteri quoque illi *βουλαῖοι* dii rarissime commemorantur. Atque mihi quidem in curia aram Minervae fuisse sicut illorum deorum satis probabile videtur, quoniam Atheniensium res publica singulari Minervae tutela ac praesidio utebatur, et summa prudentiae consiliique huic deae inerat. — Deinde vir doctus: „Nous apprenons“, inquit, „ensuite que le Sénat se rendait en corps dans tous les temples (*εἰς τἆλλα ἱερὰ πάντα*), bien qu'aucun auteur ancien ne nous dise quelque chose d' approchant, et que le fait en lui-même soit fort improbable.“ Hoc quoque loco quod aliorum scriptorum testimoniis destituti sumus fere nihil probat. Attamen, si accuratius interpretaris verba (*ὁρῶντες δ' ἐμὲ .... εἰσιόντ' εἰς τὸ βουλευτήριον .... καὶ εἰς τἆλλα ἱερὰ πάντα εἰσιὼν μετὰ τῆς βουλῆς*), reus non senatum omnia templa quae Athenis essent adiisse dicit, sed se omnia adiisse, in quae senatus se contulerit.

Reprehendit denique Wagenerus quod accusatus, quum se in acropoli Philocrati reconciliatum esse dicat, libellum non proferat, quo id magis confirmet. Ex Demosthenis enim pro Phorm. oratione (§§ 15—17) apparere ait in usu fuisse, ut ejusmodi conventiones in acropoli factae libellis traderentur. Attamen neque uno exemplo demonstratur, quid in usu fuerit, et in Andoc. or. I. 42, ubi Dioclidis insidiae enarrantur, qui sese in acropoli cum Andocide ceterisque maleficis omittendae delationis pretium pepigisse dixerat, libelli mentio nulla fit. Prae-

terea plurimum interest inter illam Phormionis et Apollodori conventionem et conciliationem, quam choragus sibi cum accusatore factam esse ait. Illi enim de pecunia solvenda pacti sunt, totaque res ad jus civile pertinet, Philocratis et choragi reconciliatio facta erat, ut sceleris suspicio ab hoc amoveretur.

IV. De rerum inventione et dispositione.

Primam orationis paragraphum Wagenerus docet et sensu sane quam vulgari esse et imperite rusticeque expressam. Quod judicium adeo non intellego, ut sententiam dignissimam existimem viro ingenuo atque honesto, qua et rei ingenium depingatur et animi vel maxime concilientur. Neque admodum alienus est ab hoc loco alter ille a Blassio laudatus, or. V. § 93: *νῦν δὲ* (sc. *ἥκω εἰς τὴν πόλιν*) *πιστεύων τῷ δικαίῳ, οὗ πλέονος οὐδέν ἐστιν ἄξιον ἀνδρὶ συναγωνίζεσθαι, μηδὲν αὑτῷ συνειδότι ἀνόσιον εἰργασμένῳ μηδ' εἰς τοὺς θεοὺς ἠσεβηκότι κτλ.* Quod vero ad imperitam illam quam vituperat elocutionem attinet, singula non notat, sed verba tantum: *ἀνθρώπῳ ὄντι* puerilia et ejusmodi esse ait, ut versione exprimi nequeant. Quid autem significant nisi: communis hominum natura ita fert? Neque quomodo hoc pueriliter dictum sit equidem intellego, neque idem vir doctus reprehendit, quod § 26 similiter orator dicit: *καὶ ἐξ ὧν γε χρὴ ἄνθρωπον ὄντα τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια πυνθάνεσθαι κτλ.*

Verba § 2 etiam leguntur in orat. V. § 14, item verba § 3—4: *αὕτη δὲ μή — χρήσασθαι τῇ δίκῃ* V. § 87, item denique § 5 verba: *καὶ οὐδείς — τιμωρήσων ἢ* V. § 87, et tota § 6: *αὐτῶν δέ κτλ.* V. § 88—89. Quibus de locis jam ante Wagenerum similiter Kirchnerus in

libello qui est de temporibus oratt. Ant. (Frankf. a./O. 1864) ita disputavit, ut quamquam apud oratores Atticos ejusmodi locos iteratos offensionem non habere concedat, sed persaepe eos quasi thesaurum quendam locorum communium habuisse, unde singulos, quoties in quaque oratione apti et usui essent, promerent, hujus tamen orationis locos esse tales dicat, qui in oratione V. vel maxime, in VI. vero vel omnino non vel parum cum ceteris conveniant. Et Kirchnerus quidem hoc modo efficere conatur ex oratione V. in VI. eos translatos, et propterea hanc recentioris aetatis esse. Quum enim Spengelius hos locos ad nullam certam orationem confectos, sed ex numero illorum communium locorum fuisse doceat, quos Aristoteles apud Cic. Brut. 47 Antiphonti tribuat, atque hos ipsos idem esse quod „*Προοίμια καὶ ἐπιλόγους*“ quae Antiphontis ferantur, Kirchnerus contra obtinet Sauppii sententiam, qui locos illos communes perfectas orationes sicut tetralogias fuisse docet. Neque igitur ex ejusmodi orationibus quasi farragines quasdam, quales in oratione VI. habeamus, depromptas esse videri, et orationi V. tam proprie convenire, ut una cum hac exortas esse existimemus necesse sit. Atque propter hoc ipsum sibi locos etiam ex *Προοιμίοις καὶ ἐπιλόγοις* non esse haustos videri, quum praesertim § 2 orationis VI. in exordio orationis V. non legatur. Attamen cur loci ex orationibus quae in causis fictis versentur hausti esse nequeant, parum elucet, quum et tetralogiae farragines, quales Kirchnerus appellat, habeant (velut *Α δ* 11—12, *Γ α* 1—6, ib. *β* 8—9, ib. *δ* 10—11). Deinde non tanto impedimento esse videtur, quod orationis VI. § 2 in exordio orationis V. non est. Nam quo quidque loco aptum esset, ibi ne insereret, oratorem nominibus prohibitum esse non puto. Insuper pars illa orationis V., quae locum continet, et qualem rhetores *κατάστασιν* sive *προκατασκευήν* appellant, non tam aliena est ab exordii

natura, quin eam a quibusdam etiam exordio adnumeratam esse suspicari liceat. (cfr. Linder, l. c. p. 17.) Tametsi autem et Wagenero et Kirchnero et Hartmano, qui nuper in „Studiis Antiphonteis“ (Progr. Gymn. Lugdun. Bat. 1882) hac de re disputavit, concedo locos geminos, quibus orator de legibus capitalibus et judicum religione disserit, magnam partem magis esse aptos in oratione V., in qua Mytilenaeus illos proferat, ubi se contra leges arcessitum esse conqueratur, tamen neque ei qui unum, neque ei qui omnes in oratione VI. parum convenire dicit assentiri possum. Hartmanus enim (l. c. p. 23) docet § 2 delendam esse, quum verba: ὥστ' οὐ δεῖ — διδάσκουσιν ἢ οὐ optime quidem de accusatoribus orationis V. dicta sint, quippe qui leges perturbent, non autem conveniant in hujus orationis accusatores, qui nihil tale commiserint. At re vera etiam hi leges perturbarunt rebus a causa alienis immixtis (cfr. § 9). Neque etiam eo, quod Hartmanus in locis geminis complura inter se discrepare docet, alterum ex memoria insertum esse mihi quidem probatur, neque si ita sit, a falsario insertum esse necesse est. — Kirchnerus autem totam § 2 deleri vult, quod molestum sit, si accusatus verbis (§ 3) ἡγοῦμαι μέντοι καὶ ὑμῖν κτλ. ad judices se convertat, quos jam § 2 cohortatus sit, ut in audienda accusatione nihil nisi leges sequantur. Deinde quum § 2 incipiat a particula μέν, huic adversativam nullam respondere, id quod contra usum sit Antiphonteum. Simul exempla a Maetznero cumulata, quibus μέν illud solitarium recte se habere ostenderet, singula refutare conatur. Denique totius § sensum esse talem ait, qui neque cum superiore neque ea quae succedat satis cohaereat; omisso enim loco accusatum, postquam § 1 de se ipso dixerit, apte dicere videri: ἐμοὶ μὲν οὖν κτλ., ac deinde ad judices pergere, neque a personis ad leges aberrare. Sed quod de alterutra ad judices conversione molesta disputat, eo

infringi puto, quod aliud est in audienda accusatione omnia ad leges, aliud judicium ipsum ad religionem referre, neque igitur alter locus alterum non patitur. De verborum autem *μέν* et *δέ* usu post Kirchnerum accuratius disputaverunt et similia exempla attulerunt Hoppe, Antiphont. specimen (diss. Hal. 1874, p. 38), H. Schaefer, De nonnull. partic. apud Ant. usu (diss. Gott. 1877, p. 34 sqq.), Wetzell, Beitrr. z. d. Gebr. d. Partik. b. Ant. (Frankf. a./M. 1879, p. 10 sqq.). Quos de locis quos proferunt dissentire video. Wetzellius illo quem Kirchnerus attulit loco, *Γα* 1, propter verborum sensum negat verba § 5: *μὲν οὖν* — *δέ* revocari posse ad vocem *μέν* § 1, atque confert *Γγ* 1: *ὅτι μὲν αὕτη ἡ χρεία κτλ.*, ubi voci *μέν* nihil respondeat. Locum de quo nos agimus, quum a Kirchnero impugnatus sit, missum facit. Schaeferus hujus loci verbum *μέν* proxime accedere docet ad vim vocis *γέ*, quod in his ipsis verbis pro *μέν* legatur V, 14, confertque Maetzneri adnotationem ad *Δ β* 5 (l. c. p. 153). Uterque tamen Hartungio, Baeumleinio, Hermanno, Rostio assentitur particulae *μέν* non semper particulam *δέ* vel aliam adversativam respondere, quum in illa haud raro insit tantum vis quaedam affirmationis. In primis autem Wageneri sententia reicienda est, qui § 3 ad § 2 verbis *μὲν οὖν·* ita adjunctam esse ait, ut legum praestantia summum accusati periculum effici dicatur. Neque verbis *μὲν οὖν* semper conclusio aliqua notetur necesse est, et ex hoc ipso quod ille reprehendit intellegitur, ea ad continuandam orationem usurpata esse, sicut in or. V. quoque persaepe fit. (cfr. Schaef. l. c. p. 38, Wetz. p. 11 et 22, VI, 18.) — In verbis autem quae sequuntur: *ἡγοῦμαι μέντοι γε κτλ.* miror quomodo idem vir doctus oratorem a recta cogitandi ratione aberrare judicaverit. „Sans doute", inquit, „si l'accusé avait dit: „il est pour moi de la plus haute importance que dans le procès qui m'est intenté on procède avec une attention scrupu-

leuse" — on comprendrait la suite d'argumentation. Mais il ne s'est point exprimé de la sorte, et nous n'avons pas le droit de substituer, en guise de commentaire, notre propre raisonnement à celui qui est contenu dans le texte." Equidem accusatum nihil aliud dicere sentio quam hoc ipsum quod Wagenero non dicere videtur. Satis autem hoc comprobatur verbis: *ἔστι μὲν γὰρ περὶ τοῦ τοιούτου μία δίκη κτλ.*, omninoque ceteris, quibus orator judicum sententiam et irreparabilem et accusato aut saluti aut perniciei in omne tempus fore demonstrat. Quam disputationem (§§ 4—7) quamquam Wagenero concedo in or. V. ad peculiarem causae rationem optime applicatam esse, quum reus ille accusatores injuste *ἀπαγωγῇ* usos esse dicat, et causam ad areopagum deferri et legitime diligentiusque in eam inquiri velit, haudquaquam tamen in hac oratione ineptam esse nullo negotio intellegetur. — Verba §§ 3—4: *αὕτη δὲ μή — τῇ δίκῃ*, ut supra diximus, etiam in or. V. § 87 leguntur. Quamquam illic statim sequuntur verba quae or. VI. § 5 continet: *καὶ οὐδείς κτλ.* Blassius igitur (p. 196) locum communem in illa oratione decurtatum et concisum esse, Wagenerus contra illam esse genuinam loci formam docet, hujus vero orationis auctorem, quum verba: *καὶ νόμῳ — ἀποστεροίη* insereret, et cogitationis ordinem et dicendi concinnitatem perturbasse ac delevisse. Quod ad probandum quum Wagenerus sententias has: *ἀνάγκη γὰρ ἐὰν ὑμεῖς καταψηφίσησθε καὶ μὴ ὄντα φονέα μηδ' ἔνοχον τῷ ἔργῳ χρῆσθαι τῇ δ ί κ η καὶ τῷ ν ό μ ῳ· καὶ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν οὔτε τὴν δ ί κ η ν τὴν δεδικασμένην παραβαίνειν πιστεύσας αὑτῷ ὅτι οὐκ ἔνοχός ἐστιν, οὔτε ξυνειδὼς αὑτῷ τοιοῦτον ἔργον εἰργασμένῳ μὴ οὐ χρῆσθαι τῷ ν ό μ ῳ"* ita esse concinnas ostendat, ut ex prioris verbis *τῇ δίκῃ καὶ τῷ νόμῳ* posterioris membra proficiscantur, mihi quoque veri simile fit hanc loci formam priorem fuisse. Concinnitas autem

illa, sicut apud Antiphontem haud raro fit, non tam in re quam in verbis versatur, quum et ὁ εἰργασμένος et ὁ μὴ ἔνοχος, si condemnati sint, idem patiantur, neque igitur τὴν δίκην μὴ παραβαίνειν aliud significet quam τῷ νόμῳ χρῆσθαι. Neque ista concinnitate sublata cogitationis ordo deest. Quum enim in or. V. verbis καὶ οὐδείς κτλ. primum de homine insonte, deinde de malefico disseratur, nonne item in hac accusatus primum quanta sit judicii et legum vis adversus injuste condemnatum ostendit, deinde verbis: τοσαύτην γάρ κτλ. quanta adversus homicidam? At de tali tantum homicida disserit, qui arcessitus non sit. Atque hoc ipso tum multo magis illustratur legum auctoritas, tum explanatur quid sit νικᾶσθαι τοῦ ἀληθοῦς κἂν μὴ ὁ τιμωρήσων ᾖ, verba in or. V. sane difficilia. Itaque hunc locum neque deterius illo excogitatum et magis etiam perspicuum esse existimaverim. Immo facilius quispiam verba: καὶ οὐδεὶς ἂν — τιμωρήσων ᾖ in or. VI. interpolata esse suspicari poterit. In quibus et nihil est quod antea dictum non sit, et oratio post locum qui est de spe humana paulo molestius retorquetur. Maxime repugnat Wagenero Hartmanus qui hunc alterum locum communem (§§ 3—6) in or. VI. genuinum, in or. V. vero interpolatum esse docet sic: „hic (in or. V.) reus κακουργίας citatur; ergo judices orat, ut se hoc crimine absolvant, quo melius possit φόνου judicium subire; absurdum autem esset jam nunc judices admonere de vi condemnationis in φόνου judicio: potest hoc argumentum in aliud tempus reservare.“ At quaecunque hujus actionis forma est, quis est quin ejus judicium, si condemnet, non minus irreparabile et grave esse videat quam quod feratur in φόνου actione? Neque quum V. § 87 reus dicit „φόνου δίκῃ“, in nominibus haerendum esse puto, minimeque in locis communibus.

Inter §§ 7—11 et Dem. de cor. §§ 11—14 jam Spengelius et Blassius similitudinem quandam intercedere

statuerunt. Quam quum illi fortuitam esse censeant, Wagenerus ei tantam tribuit vim, ut or. de chor. locus imitatione ei expressus esse videatur. Quid igitur habent commune? Primum quidem uterque orator proponit, qua de re primum dicturus sit. Haec autem propositio et partitio quaedam nullam suspicionem habet, quippe quae in *προκατασκευῇ* quae vocatur esse soleat. In oratione V. quidem quum omnis *προκατασκευῆς* disputatio in eo consumatur, quod accusatores inaudito quodam et injustissimo modo causam instituerint, jam exeunte exordio orator breviter materiem sic proponit § 7: *περὶ δὲ τῶν κατηγορημένων ἀπολογήσομαι καθ' ἕκαστον*. Deinde vero huic loco cum Demosthenico commune est, quod uterque orator dicit, si quid reus contra rem publicam peccasset, accusatores quo quidque tempore peccatum esset eum arcessere debuisse, et ita quidem ut rei publicae vere satisfieret. Sed quotiescunque accusatio aliqua sic se habet, talem refutationem non difficilem habere excogitationem, sed fere ipsa re oratori praesto esse puto. Demosthenico certe ingenio ad hoc opus non fuisse ex eo apparet, quod, ut jam Hartmanus vidit, idem fere argumentum in or. V. § 61 legitur: *ἐξὸν γὰρ αὐτῷ ἐν ἀγῶνι κτλ.* (cfr. VI 9 *ἄνδρα τε ἐχθρὸν τιμωρήσασθαι καὶ τὴν πόλιν ὠφελῆσαι* et V 61 *τό τε ἴδιον τὸ αὐτοῦ διαπράξασθαι καὶ τῇ πόλει τῇ ὑμετέρᾳ χάριν καταθέσθαι.*) Simile denique aliquid habent verba *ἐὰν ὑμῖν ἡδομένοις* (d. chor. 8) et *ἂν βουλομένοις ἀκούειν ᾖ τούτοις* (de cor. 11). Propter hoc unum autem ex Demosthenico loco alterum fluxisse judicare temerarium foret. Quum praeterea quod ad elocutionem attinet, locos diversissimos esse appareat, tantum abest ut de imitatione cogitem, ut et ipsarum rerum condicionem et *προκατασκευῆς* naturam fere postulasse censeam quod commune habent. In § 7 autem Wagenerus haec quoque verba vituperat: *ὅπερ ἀδικώτατόν ἐστι τῶν ἐν ἀνθρώποις*, quibus sententiam ad-

modum tritam ac vulgarem proferri ait. Cur non dicit simplicem, qua depingatur rectum et probum accusati ingenium? Ita equidem judicare malim. Sed de ejusmodi rebus disputari non potest. Quum igitur idem sentiat vir doctus de verbis: *καὶ οὐκ ἐλέγξαντες — γῆς ταύτης*, refelli non potest. Quamquam mihi quidem fastidium abesse videtur propter egregiam verborum concinnitatem. Praeterea conferas velim or. V. § 74: *ὁ μὲν γὰρ πολλῷ πρεσβύτερός ἐστι τῶν ἐμῶν πραγμάτων, ἐγὼ δὲ πολλῷ νεώτερος τῶν ἐκείνῳ πεπραγμένων*, et quod Blassius (p. 139) judicat, oratorem nihil posse cogitare, quin simul contrarium addat.

Quod ad narrationem pertinet, Wagenero choragus nimis longus esse videtur in exponendo, quomodo choro et exercendo et alendo consuluerit. Attamen, ut supra docuimus, hoc ipsum est quod in judicium venit. Neque jure mihi Wagenerus narrationem desiderare videtur, quomodo singula istius casus evenerint, ipsene puer venenum sibi sumpserit an alter ei praebuerit et alia id genus, quae ad causam ipsam nihil facere apparet. Atque omnino et in or. V. et VI. narratio talis est, quae non tam demonstret, quomodo res facta sit, quam non ita esse factam ut accusatores contendant. Admoneamus etiam quod Kaysero (Mus. Rhen. XVI p. 64) Anaximenes de narratione praecepisse videtur: in accusatione aliam esse narrationem, aliam in defensione. Immo in hac saepenumero narratione opus non esse, sed *κατάστασιν* ejus locum obtinere; certe accusati narrationem hoc potissimum consectari debere, ut si quid accusator non dixerit, suppleat, si quid nimis, tollat vel temperet, si quid falso vel accusato incommode, refellat vel occultet.

Probationis primus locus (§§ 16—19) a Wagenero sic est reprehensus: „Il se borne, en ce qui le concerne personellement, à paraphraser, d'une manière assez confuse, de dépositions de témoins à décharge." Qua autem

in re versetur confusio neque ipse ostendit neque mihi elucet. Immo permagna hujus loci est perspicuitas, quum singulas deinceps criminationes testimoniis illis refelli demonstretur, ita quidem, ut orator perspicue disputando causae perspicuitatem aemulari videatur. Atque multa et artificiosa argumenta etiam Blassius docuit in hac oratione locum non habere. Neque enim opus est illis, neque est unde sumantur. Quomodo enim pugnari potest ubi hostis non est? Atque ita oratorem ipsum totum hunc locum intellegi voluisse satis apparet ex verbis § 18: *ὁπόσα μὲν γὰρ λάθρᾳ πράττεται κτλ.* Jure tamen Wagenerum existimo vituperare haec: *γενέσθαι μέντοι τὰ μὴ γενόμενα καὶ ἀδικεῖν τὸν μὴ ἀδικοῦντα οὐκ ἐν τοῖς τούτων λόγοις ἡγοῦμαι εἶναι, ἀλλ' ἐν τῷ δικαίῳ καὶ τῷ ἀληθεῖ.* Sufficere enim non videtur quod Maetznerus oratoris sententiam patere dicit. Patet sane omissis verbis: *ἀλλ' ἐν τῷ δικαίῳ κτλ.* Haec autem ipsa addita, ut quidem nunc se habent, nemo fere est quin absurda esse videat. Quare, quoniam Wagenero non assentimur ineruditum fuisse orationis auctorem et falsarium, nihil aliud cogitare licet, quam hunc locum esse corruptum et deformatum. Cum Hartmano igitur judicabimus verba *ἀλλ' ἐν τῷ κτλ.* interpolata esse, nisi post ea quaedam intercidisse malumus. Quod eo magis probabile videtur, quod facile quispiam suspicari potest totum locum ita concinne fuisse dispositum, ut verbis *αὐτὸς γὰρ ἕκαστος τούτου κρατεῖ* responderet alterius sententiae membrum tertium, quod nunc illa verba mutila continet. Sic enim in hac potissimum orationis parte (16—20) fit. Praeterea apud Antiphontem omnis fere negatio contrarium suum postulat, quare verbis: *οὐκ ἐν τοῖς — εἶναι* sententiam non finitam fuisse existimaverim. Atque quum orationis corruptelas et multas et permagnas esse apud omnes constet, equidem non dubito perinde judicare de § 19, a Wagenero non minus vituperata. Ad quam Maetznerus

adnotat: „Carent haec apodosi, quam ipse orator omisisse possit videri, enuntiationum deinceps positarum serie properantem fallente.“ Mihi quidem neque series illa nimia esse videtur, neque recurrendum esse ad V. §§ 11—12, 46, VI. 45—46, ubi a proposita structura aberrant enuntiationes. Aliquantum enim interest si quid non dicitur, quod erat dicendum, et si quid aliter atque exspectabatur. Neque Linderi, qui *ἐκ τούτων* pro *ἐξ ὧνπερ* legi vult, emendatio mihi satis probatur, non tam quod Wagenerus eam nimis audacem esse monet, quam quod ejusmodi restituta apodosis ad secundam tantum protaseos partem referenda est, ex eo vero, quod accusatores *μὴ ἐκ προνοίας μηδ' ἐκ παρασκευῆς γενέσθαι τὸν θάνατον* concedunt, nihil efficitur. Eadem de causa neque Hartmani sententia placet, qui ante *ἐξ ὧνπερ* excidisse posse ait quaedam, neque Goelkelii (Beitrr. z. Syntax d. Verb. u. d. Satzbildg. b. d. Redn. A., Passau 1883, p. 45), qui apodosin a verbis *καὶ εἴ τις μὴ ἀδικοῦντα κτλ.* incipere suspicatur. Jam Reiskius vidit apodosin deesse. Ceterum nescio qui vir doctus egregie mihi conjecisse videtur, in § 18 ante *ὧν μή εἰσιν μάρτυρες* vocem *καὶ* restituendam esse. Verba enim *ὁπόσα* — *βουλευθέντα* tam arte conjuncta esse mihi videntur, ut non duas res sed unam eandemque definiant; scilicet *πράττειν* hoc loco fere idem est quod machinari vel meditari. Aliter enim probabiliter ante *βουλευθέντα* articulum *τά* posceremus. Quod si ita est, verbum *λάθρᾳ* illa: *ὧν μή εἰσι μάρτυρες* ut otiosa fere non patitur. Injecta autem voce *καί* haec non jam otiosa sed per se intellegenda sunt, et f a c t a clandestina significant. Simul optima concinnitas restituitur cum § 19: *ὁπόσα μέν — ὅπου δὲ πρῶτον μέν; καὶ ὧν μή — ἔπειτα τὰ πραχθέντα.* Propter hanc autem ipsam concinnitatem in § 19 desideraverim apodosin, qua non de testibus solum verba fiant, sed in universum dicatur fere non

jam opus esse θηρεύειν καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα κτλ.

De cetera orationis parte Wagenerus hoc reprehendit, quod fere in duabus tantum sententiis versetur, quarum altera sit, accusatores testimonia, quae reus ab initio usque obtulisset, repudiasse, altera, eosdem ad accusandum choragum pecuniam accepisse. Sane quidem haec est summa ceterae argumentationis. Valde autem dubitandum est num hoc jure reprehendatur. Non enim iste causae plurimum prodest, qui pleraque argumenta profert, sed qui gravissima. Atque istis argumentis nihil inveniri potuisse quod plus valeret ad persuadendum, facillime intellegitur. Tantum enim valent, ut quicunque audiat accusationem esse nefariam calumniam persuasissimum habeat. In his igitur opus erat oratorem commorari, haec maxime explanare, neque praestantissima causae firmamenta deteriorum probationum multitudine obruere oblivionique tradere. Praeterea quum Wagenero in hac sententia tam aperta, quod accusatores testes ab accusato oblatos produci noluerint, nimis longus videatur esse (§§ 23—28), idem orator in or. V. totidem fere verba (§§ 34, 35, 46, 47, 48) consumit in eo, quod accusatores servum testem, quo maxime accusatio nitatur, interfecerint, quae sententia mihi non obscurior esse videtur. Ceterum argumentum § 27 et magnam partem verba quoque eadem leguntur in or. V. § 38.

§§ 28—32 Wagenerus docet non hic sed post § 19 locum habere. Deinde neque quidquam novi argumenti eas habere et insulsam loquacitatem prae se ferre. Sed quid sibi velit hic locus jam Blassius docuit. Recte enim talem esse ait quo orator quae antea singula dicta sint colligat, universa exaggeret, exornet, neque aliter esse judicandum de or. V. §§ 49—52. Atque laudem commendationemque testimoniorum, quae ipse reus profert, etiam plus valere apparet, postquam accusatores

nullos habere, et quos habere possint recusasse demonstratum sit. Quod vero Wagenerus disputationem ut insulsam vituperat, § 28 etiam in or. V. § 84 legitur, talis quidem ibi, quae simul ad divina illa signa revocetur. Etiam sententiae *καίτοι δεινόν — ἄπιστοι ἔσονται* similia quaedam invenio, quibus deterior illa esse nequit: or. V. § 38 quam supra accivimus, et § 84, quae etiam in or. VI. § 47 legitur. In iis vero quae sequuntur equidem nihil invenio quod minorem habeat vim ad persuadendum, neque Wagenerus hujusmodi quidquam notavit, praeterquam quod ineptum esse ait illud § 30: *ὅπου μὲν γὰρ λόγῳ τις διδάσκοι περὶ τῶν πραχθέντων, μάρτυρας δὲ μὴ παρέχοιτο, μαρτύρων ἄν τις τοὺς λόγους τούτους ἐνδεεῖς φαίη εἶναι.* At haec sententia una cum ea quae sequitur intellegenda est: *ὅπου δὲ μάρτυρας μὲν παρέχοιτο κτλ.* Quid enim? si orator dicit: jure diffiditur non modo si quis verba testimoniis non probat, sed etiam si testes cum indiciis quae protulit non conveniunt; ego vero etc., quid inepti est? Quamquam forsan quispiam eum nimis dialecticorum more singula amplecti dicat. Atque omnino si quid adeo in tota hac orationis parte (28—32) reprehendetur, cum Blassio hoc fore puto, quod omnis fere locorum communium speciem prae se ferat. Quibus in conscribendis fieri non poterat, quin persaepe a vivido et expedito genere forensi recederet oratio et dialecticam saperet (cfr. Blass. p. 196, 201 sq.). Ejusmodi autem locos veteres haud ita perhorruisse egregie docuit Blassius (III. p. 74). Ipsum enim Demosthenem ostendit non dubitasse saepe orationibus locos inserere, quos et alio tempore et alio tamquam animi impulsu conscripsisset. Neque enim orationes scripsisse ut legerentur, minimeque ab hominibus criticis et invidis, sed ut audirentur; audientibus vero ejusmodi locis haud dubie persuasum esse, neque eos animadvertisse, si qua cum ceteris minus convenirent. Neque sane quod

in Demosthene non offendit, reprehendere licet in Antiphonte, a quo fere incipiat ars dicendi Atheniensium. Quam ad rem etiam animum intendere aequum est, si judicamus quae in § 31 Wagenerus praeter cetera vituperat: *καὶ τοῖς λόγοις (παρέχω) τοὺς μάρτυρας ὁμολογοῦντας καὶ τοῖς μάρτυσι τὰ ἔργα.* Qua in sententia nemo est quin idem esse intellegat, tum si testimonia cum iis quae accusatus disputat conveniant, tum si cum factis. Ejusmodi amplificatione quamvis tautologia sit quae vocatur, audientes in dicendi decursu non offenduntur. Neque magis offenduntur eo, quod quamquam reus se *τεκμήρια ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων ἀποφῆναι* ait, tamen nulla inveniuntur. Recte enim Wagenerus ea non ad hoc referenda esse dicit, quod testibus ab accusato oblatis rem investigare noluerint, quoniam inde illa *δύω τὼ μεγίστω καὶ ἰσχυροτάτω* duci appareat, quae accusatus *ἔτι πρὸς τούτοις* se afferre ait (cfr. § 32). Cum priore tamen amplificatione conferas or. V. § 54: *διάφορον [μὲν] ἦν τὸ γραμματείδιον τῷ βασανισθέντι, διάφορος δ' ὁ ἄνθρωπος τῷ γραμματειδίῳ,* et ib. § 74: *ὁ μὲν γὰρ πολλῷ κτλ.*, quod supra jam citatum est.

Accusatus postquam § 35 ab Aristione et Philino et Ampelino, quos ipse peculatus arcessivisset, Philocrati persuasum esse dixit, ut sibi foro ac jure interdiceret, § 36 hoc addit: *ὁ γὰρ νόμος οὕτως ἔχει, ἐπειδάν τις ἀπογραφῇ φόνου δίκην, εἴργεσθαι τῶν νομίμων.* Wagenerus miratur quomodo reus areopagitas de re tam aperta et notissima edocendos putet. Hartmanus et illam sententiam et verba quae sequuntur: *εἰργόμενος τῶν νομίμων* interpolata esse censet. Sed ejusmodi locos non admodum exagitandos esse arbitror. Oratores certe scribere assueverant, quod diceretur in heliastarum judiciis, hominum haud raro legum parum peritorum. Neve miremur, si ejusmodi expositiones etiam ibi inserunt, ubi minus conveniant. Quamvis enim injuria Wagenerus orationem

apud areopagitas habitam esse existimet, haud dubie ne ephetae quidem additamentum illud desiderabant. Deinde postquam narratum est archontem regem, quia muneris impenderet jam finis, accusationem recusasse, accusatoresque reo reconciliatos inde ab eo tempore nulla suspicione et familiariter eo usos esse (§§ 37—41), § 41 sic se habet: *σκέψασθε δὲ καί μοι μνήσθητε, ὦ ἄνδρες, ταῦτα γὰρ οὐ μόνον μάρτυσιν ὑμῖν ἀποδείξω, ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων, ἃ τούτοις πέπρακται, ῥᾳδίως γνώσεσθε ὅτι ἀληθῆ λέγω.* Quo autem loco testium quaestio habeatur oratio non exhibet. Atque hoc quoque Wagenerus in partem suam adscivit. Sed quin loco quodam re vera testes procedant mihi quidem dubitandum non videtur. Etenim res tam graves et multas sine testimoniis enarrare non licet, neque quisquam testibus eas carere dicet, ut infra ostendemus. Quaerit etiam vir doctus quaenam sint illa *ἔργα* adversariorum, quibus quod narratum sit illustretur atque confirmetur. Ex eo enim quod accusatores regem chorago favisse dicant, quamquam lege fuerit obstrictus ad reiciendam accusationem, neque ipsi postea quum gesti muneris ei esset ratio reddenda, propterea eum sollicitaverint, hoc sane effici, ut homines isti injuriam a rege sibi illatam esse persuasum non habeant; quod vero per aliquantum temporis familiariter chorago usi sint, hoc hercle non probari. Audio. Sed quod hunc locum sequitur vel optime probat. Quum enim postquam hic rex qui in judicio adest magistratum iniit, magnum temporis spatium intermiserint priusquam denuo accusarent, quid veri simile fit nisi hoc ipso anno in consuetudine illa familiari permansisse, quae inde a reconciliatione iis cum chorago esset? Et hanc narrationem ad illud quod § 41 legitur referri velle oratorem apparet satis ex verbis § 46: *διὰ τί οὖν οὐκ ἀπεγράφοντο; δι' ὅ τι συνῇσαν καὶ διελέγοντο κτλ.* Quod vero hac de re non post ipsam § 41 disseritur, haud mirum est, quum ora-

torem deinceps omnia sicut facta sint enarrare appareat. — Atque quod jam attinet ad testes in quaestionem citatos, viri docti quo loco procedere videantur dissentiunt. Ac primum quidem quod verba: *τούτων δὲ παρέξομαι τοὺς μάρτυρας* vel similia desunt, nullam offensionem habere apud omnes constat, quippe quae et § 15 et or. V. § 62 interciderint. Sauppio igitur jam post § 40 testes procedere videntur. Quod merito Lindero parum placuit propter verbum *ἀποδείξω*. Ibi si re vera testes procederent, testimonia non fore illa certe apparet, quae § 41 accusatus se afferre velle ait. Attamen quae accusatus ibi se comprobaturum ait, haud dubie haec sunt quae modo narravit, non quae narraturus est. Verbis enim: *σκέψασθε δὲ καί κτλ.* oratorem judices commonere apparet, ut ad hoc potissimum animum intendant, quod modo magno quodam pondere et tamquam ipsius miratione dixit. Lindero testimonia afferri visa sunt post verbum *εὐθύνας* § 43. Quae conjectura Wagenero etiam magis quam Sauppii nescio qua de causa improbatur. Mihi quidem certi quidquam obici posse non videtur. Apparet autem si hoc loco testimonia illa proferrentur, de quibus § 41 dicitur, complecterentur necesse fore etiam ea, quae §§ 33—41 narrantur. Haec vero tam gravia esse atque tantopere ad ipsam causam spectare videntur, ut ea non illo loco testimoniis probata fuisse suspicer, ubi oratio a proposito abeat ac digrediatur. Neque quae §§ 41—43 narrantur, quum et notiora esse possint atque ad ipsam rem minus attineant, prorsus testimonia poscere videntur. Jam si testimonia postea demum adlata esse statuimus, locum iis non esse apparet, nisi post § 47, ubi orationem tamquam paulisper requiescere supra docuimus. Ita materies quidem testimoniorum haud ita cresceret. Namque etiam quae orator §§ 44—46 narrat, talia esse videntur, in quibus judices testimonia non admodum desiderent. Neque deinde illud

impedimento fore videtur, quod disputatio quaedam (§§ 46—47) intercederet, quum etiam or. V. § 35, antequam testes procedant, orator paulum argumentetur. Insuetum autem esset, quod una testium citatio post tantum narrationis spatium fieret. In or. V. enim citatim deinceps testes adhibentur. Quamobrem equidem potius testimonia proferri arbitror post ipsa verba illa § 41: *σκέψασθε — ἀληθῆ λέγω*. Ea enim, ut supra diximus, magis cum iis cohaerent quae antecedunt, quam cum digressione quae est de archonte rege. Jam vero quispiam forsan quaerat, num ea quoque hoc loco testimoniis probentur, quae §§ 20 sqq. enarrata sunt. Quod equidem negaverim. Neque enim § 41 verba *ταῦτα ἀποδείξω* tam late patere apparet, ut ea ad illa quoque referre liceat, et § 32 argumentationi illi tamquam certum finem imponit. Quamquam nemo est quin concedat istas res tum maximi in hac causa momenti tum ejusmodi esse, ut et ii qui audiant quam plurima testimonia desiderent, et testes deesse nequeant. Si igitur de his quoque rebus testes productos esse arbitramur, equidem eos post § 24 procedere suspicor. — In § 43 quum legatur: *καίτοι τί ἂν ὑμῖν τούτου μεῖζον τεκμήριον ἀποδείξαιμι, ὅτι οὐκ ἠδικεῖτο οὔθ' ὑπ' ἐμοῦ οὔθ' ὑπ' ἐκείνου*, nimium Wagenerus ait reum demonstrasse videri. Ex eo enim quod regem, quum rationem gesti muneris redderet, non agitaverint accusatores, non hoc effici, choragum veneficii culpa carere, sed tantum istos homines mendaces esse. Sane quidem illud non efficitur. At mihi quidem verba *οὔθ' ὑπ' ἐμοῦ* revocanda esse videntur ad illud § 41: *διὰ τὴν ἐμὴν σπουδήν*, et ejusmodi esse intellegenda, ut choragus neque sese regi persuasisse dicat, ut accusationem reiceret, neque sua gratia regem rejecisse.

Hartmanus ad § 40 adnotat haec: „Cum toto hoc loco de Philocratis ficta amicitia conferantur haec verba e Dem. Mid. p. 553: *εἰσελθὼν οἴκαδε ὡς ἐκεῖνον καὶ*

ἐφεξῆς κτλ.“ Attamen quum Midiae erga Aristarchum amicitia ficta sit, non perinde Philocratis erga choragum. Ubi enim illo familiariter usus est, nondum eum accusare in animum induxerat, neque post reconciliationem reum facere choragum voluit, donec a poletis et poristis pecunia corruptus est. — § 45 et a Wagenero et Hartmano confertur cum Dem. Mid. p. 551 extr. verbis: *οὕτω τοίνυν οὗτός ἐστιν ἀσεβὴς ἄνθρωπος κτλ.*, ab illo quidem ita, ut § 45 malam amplificationem loci Demosthenici esse dicat. Sed quod attinet ad ipsum argumentum, quod sumptum est ex accusatorum silentio, quum item sese habeat et hujus orationis § 9 et V. § 61, etiam hic admonendum est quod supra de § 9 contra Wagenerum diximus. Quamquam hoc loco accedit, quod et Demosthenes et choragus ab accusatoribus non impediti publice sacra fecerunt, quum senatores essent. Uterque autem quod senatorio munere functus est, mihi quidem ad suspicionem non magis sufficit quam verba *ἱεροποιεῖν* et *θύειν* et *ὑπὲρ τῆς πόλεως*, quae utroque loco leguntur. Quod ad elocutionem attinet, plurimum inter eos interesse apparet.

V. De elocutione.

Jam venienti mihi ad elocutionem, qualis in oratione VI. sit et quomodo cum oratione V. vel conveniat vel ab ea recedat, non profuturum esse videtur multarum rerum quae ad eam spectent molem obiter attingere, uno alterove exemplo singula illustrare. Neque uno hujusmodi libello quisquam potest tot res ita amplecti, ut de una quaque accuratius disputet. Sed in quibus Antiphontis proprietas dicendi potissimum versari videatur, viri docti et satis ostenderunt, et singula libellis

tractaverunt. In quibus plurimum profecisse videntur Bellingius, De periodor. Antipontear. symmetria (diss. Vratisl. 1868), et quos jam supra memoravimus, H. Schaeferus, De nonnull. partic. apud Ant. usu (diss. Gott. 1877), Wetzellius, Beitrr. zu d. Gebr. d. Partik. b. Ant. (Frankf. a./M. 1879), denique Goelkelius, Beitrr. z. Synt. d. Verb. u. d. Satzbildg. b. d. Redn. Ant. (Passau 1883). In iis igitur, quibus viri docti summum pondus tribuerunt, versari eaque hic illic supplere mihi liceat. Atque plurimum interesse videtur, ut exempla quaecunque occurant colligamus, ut quatenus quidque orationibus sit commune intelligatur.

De periodorum Antiphontearum arte quum et Blassius (l. c. p. 136 sqq.) et Bellingius disputaverint, nobis videndum erit, quomodo orationes V. et VI. periodorum structura inter se discrepent vel conveniant. Ac primum quidem recte Blassius dicit in universum, periodorum or. VI. plerarumque majorem esse ambitum. Quod quo magis perspiciatur, primum periodorum monocolarum numerum conferemus, quantus fere in utraque oratione sit. Nunc tamen quae de periodis dicemus, ne referas velim ad majores illas sententiarum finitimarum complexiones, quae plerumque particularum vi fiunt, sed ad eas, quae tamquam grammatica structura suum certum finem habent. In or. VI. igitur periodos monocolas fere viginti numeras: VI. 2 3, 3 1, 3 3, 5 1, 8 3, 10 1, 10 5, 10 6, 13 3, 14 2, 20 2, 25 2, 34 3, 34 4, 34 5, 41 1, 43 1, 46 3, 46 4, 47 1, in or. V. fere nonaginta, i. e. si hanc orationem 96 paragraphos, illam 50 habere reputamus, plus duplum numerum: V. 6 1, 6 3, 6 4, 7 4, 9 4, 10 2, 10 5, 11 2, 13 3, 14 3, 16 3, 17 1, 17 4, 18 2, 19 1, 19 2, 20 4, 21 1, 22 4, 22 5, 23 1, 23 2, 23 3, 24 2, 24 4, 25 1, 25 2, 25 4, 28 1, 28 2, 28 3, 28 8, 30 3, 31 1, 31 2, 32 4, 35 3, 36 2, 36 3, 37 3, 38 2, 43 1, 44 4, 45 3, 47 3, 49 1, 49 2, 55 1, 55 3, 56 3, 57 1, 57 2, 57 3, 57 4, 57 6,

58 2, 58 3, 58 4, 58 5, 60 3, 61 1, 62 1, 64 4, 65 4, 68 1, 69 1, 69 3, 69 4, 71 2, 72 1, 72 2, 73 1, 73 4, 73 5, 74 1, 74 2, 75 4, 79 2, 79 5, 79 6, 80 4, 81 2, 82 1, 83 1, 85 4, 86 1, 86 4, 87 1, 90 1, 90 3, 90 4, 91 4, 91 5, 91 6, 91 7, 93 4, 93 6, 94 1, 95 1, 95 3, 96 1, 96 4, 96 5.

Periodos autem quae quattuor membrorum modum excedunt, in oratione VI. legimus fere 25: VI. 1 (9 colorum), 7 2 (6), 11 3 (5), 12 3 (5), 13 1 (6), 14 3 (5), 18 3 (5), 19 1 (8), 21 2 (6), 23 (11), 25 1 (9), 27 1 (5), 28 1 (5), 28 2 (6), 29 2 (5), 31 (7), 32 1 (5), 33 2 (5), 37 (6), 38 (7), 40 (8), 45 2 (10), 48 (8), 49 (9), bis igitur occurit periodus octo colorum, bis novem, semel decem, semel undecim colorum. — In or. V, autem fere numeravi 30 ejusmodi periodos: V. 4 (6), 5 1 (5), 8 (7), 10 4 (5), 11 3 (5), 12 1 (5), 18 1 (7), 29 1 (5), 31 3 (5), 34 1 (7), 36 1 (5), 38 3 (5), 41 (7), 42 1 (9), 43 2 (5), 45 1 (5), 45 2 (5), 46 2 (5), 47 1 (5), 48 2 (5), 50 1 (5), 52 2 (6), 61 2 (7), 62 2 (5), 69 5 (5), 71 4 (5), 77 (8), 78 (8), 82 2 (6), 84 1 (6), 84 2 (5), bis igitur reperitur periodus 8, semel 9 colorum.

Etiam plus discrepantiae eo videtur mihi effici, quod multo saepius in or. V. leguntur periodi, quarum membra pari loco posita sint. In or. VI. enim numerabis fere 15: VI. 5 4, 6 2, 6 3, 6 4, 8 1, 8 3, 12 3, 18 1, 29 1, 39 2, 41 2, 42 1, 42 2, 42 3, 47 3. At in or. V. fere 60: V. 1 2, 5 2, 5 6, 6 2, 15 2, 16 2, 22 3, 23 2, 23 6, 25 5, 26 5, 34 2, 35 1, 44 2, 44 3, 47 2, 47 5, 48 3, 49 3, 51 2, 53 3, 54 3, 54 4, 55 2, 57 5, 59 2, 59 3, 63 1, 63 2, 63 5, 65 2, 65 3, 70 2, 73 2, 73 3, 73 4, 74 3, 76 3, 76 4, 79 3, 79 7, 80 1, 81 3, 84 3, 85 6, 86 2, 86 4, 88 2, 89 1, 89 2, 90 2, 90 5, 96 6, 91 2, 92 1, 92 2, 94 2, 94 3, 94 5, 94 6, 96 6.

Atque quod et in V. et in VI. or. periodi majores ejusmodi concinnitate ornatae sunt, ut sententia aequaliter sit partita, colorum structurae atque sensus inter se respondeant, non modo in eadem periodo, sed etiam in

finitimis, Bellingium adeas velim, qui hac de re (p. 51 sqq.) accurate disseruit. Hic videtur satis esse locos protulisse, ubi id maxime cernitur:

VI. 30 1) ὅπου μὲν γὰρ λόγῳ τις διδάσκοι περὶ τῶν πραχθέντων,
2) μάρτυρας δὲ μὴ παρέχοιτο,
3) μαρτύρων ἄν τις τοὺς λόγους τούτους ἐνδεεῖς φαίη εἶναι·
1) ὅπου δὲ μάρτυρας μὲν παρέχοιτο,
2) τεκμήρια δ' αὖ τοῖς μαρτυροῦσιν ὅμοια μὴ ἀποφαίνοι,
3) τοιαῦτα ἄν τις ἔχοι εἰπεῖν εἰ βούλοιτο.

ib. 2 4, 7 2, 17 5 sqq., 26 2, 29 2, 44 1, 2, 47 2, 48.

V. 12 ἃ σὺ παρελθών,
αὐτὸς σεαυτῷ νόμους ἐξευρών,
ἀνώμοτος μὲν αὐτὸς ἐμοῦ κατηγορεῖς,
ἀνώμοτοι δὲ οἱ μάρτυρες καταμαρτυροῦσι,
δέον αὐτοὺς τὸν αὐτὸν ὅρκον σοὶ διομοσαμένους καὶ ἁπτομένους τῶν σφαγίων καταμαρτυρεῖν ἐμοῦ.

ib. 1 1, 2, 2 1, 2, 3 1, 2, 5 2, 3, 11 1, 14 4, 38 2, 3, 40 1, 2, 46 2, 60 4, 74 3, 75 1, 76 1, 80 2, 3, 82 2, 3, 4, 83 2, 3, 84 2, 85 5, 87 3, 91 1, 2, 94 5, 6.

Si vero hoc tantum animadvertes, quod orator finitimis periodis, quae quolibet modo artius inter se sunt conjunctae, totidem cola tribuit, omissis monocolis hi loci occurent: VI. 4 1, 2, 6 3, 4, 5, 9 2, 3, 15 2, 3, 16 2, 3, 17 3, 4, 5, 26 2, 3, 30 1, 2, 36 2, 3, 39 1, 2, 44 1, 2; V. 1 1, 2, 2 1, 2, 3 1, 2, 5 2, 3, 7 1, 2, 40 1, 2, 53 2, 3, 4, 54 3, 4, 55 4 56 1, 59 2, 3, 65 1, 2, 74 4 75 1, 76 1, 2, 82 2, 3, 4, 89 1, 2, 3, 91 1, 2, 92 1, 2.

De figuris quoque disseruit Bellingius accuratius, quas Antiphon in deliciis habet, Gorgianis, maximeque

de antithesi. Sed de notionibus potius atque nominibus disputavit, de quibus veteres rhetores inter se dissentiant, quam cujusque apud Antiphontem usum exhibuit.

De antithesi disputat p. 25 et 27 sqq. Priore illo loco de Antiphontis studio binas notiones componendi disserens, commemorat notionum diversarum vel contrariarum in eodem colo compositionem, eandemque antithesin esse dicit, quam Anaximenes verbis tantum, non sensu fieri doceat, velut in exemplo ab Anaximene allato: *διδότω γὰρ ὁ πλούσιος καὶ εὐδαίμων τῷ πένητι καὶ ἐνδεεῖ.* Mihi quoque placet in dividendis antithetis ea secerni, quae intra idem membrum fiunt. Sed hoc genus quamvis persaepe non tam ex ipsis rebus oriatur, quam ad ornandam orationem excogitetur, equidem verbis tantum factum appellare dubito. Neque de singulis antithetis judicaverim quatenus aut ad verba tantum aut ad sensum aut ad utraque spectent. Appellari malim

Minorem antithesin eam quae eodem membro continetur, velut VI 47: *τοῖς ἔργοις τοὺς λόγους ἐλέγχουσιν;* ib. 1 2, 6 2, 9 2 (bis), 9 4, 10 3, 10 4, 16 3, 18 3 (bis), 18 4, 20 2, 22 1, 25 2, 29 3, 30 1, 34 1, 47 3 (bis); V. 3 1, 3 3, 5 1 (bis), 5 2 (bis), 6 3, 12 2, 17 5, 18 1, 21 3, 22 2, 22 3, 35 2, 36 3, 44 3, 48 2 (ter), 50 3, 51 3 (bis), 61 1, 67 1, 69 5, 72 3, 73 1, 79 1, 79 3, 84 2, 84 3 (bis), 88 2, 91 1, 92 4, 93 3, 93 5. Eadem igitur fere in utraque oratione est hujus antitheti frequentia.

Majorem autem antithesin appellemus eam quae inter cola existit, velut VI 28 2: *ἃ μὲν ἐγὼ λέγω ἀληθῆ εἶναι / ἃ δὲ οὗτοι λέγουσιν οὐκ ἀληθῆ.* Cujus generis de divisione veteres rhetores multa et varia et parum probabilia protulerunt. (cfr. Bell. p. 27, Volkmann, Rhet. d. Gr. u. Röm. p. 412 sqq.) Equidem accuratius dividere non possum quam sic.

Primum antithesis fit, quum eadem vel similia ita opponuntur, ut alterum affirmetur, alterum negetur,

velut VI, 16 3: *διωμόσαντο δὲ οὗτοι μὲν ἀποκτεῖναί με Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον, ἐγὼ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι κτλ.*; ib. 1 1, 2, 17 1, 2, 28 2, 34 1, 2, 35 2, 3; V. 22 3, 23 2, 25 2, 4, 26 2, 3, 28 6, 7, 39 1, 2, 42 2, 3, 49 3, 51 2, 63 2, 92 1.

Aliud genus fit quum contrariae diversaeve res ita componuntur, ut utraque aut affirmetur aut negetur. VI. 5 4: *ἀνάγκη δὲ τῆς τε δίκης νικᾶσθαι παρὰ τὸ ἀληθές, αὐτοῦ τε τοῦ ἀληθοῦς κἂν μὴ ὁ τιμωρήσων ᾖ*; ib. 8 3, 5 3, 7 2 8 1, 11 3, 15 2, 19, 23, 31, 32 1; V. 1 2, 9 1, 13 3, 19 3, 31 3, 34 2, 3, 36 3, 36 4, 38 1, 48 3, 50 7, 51 1, 63 1, 59 3, 74 3, 76 4, 6, 79 1, 79 7, 81 3, 84 2, 87 3, 87 4, 90 2, 94 2, 94 6, 7.

Tum antitheton fit rebus contrariis ejusmodi oppositis, ut alterum membrum negetur, alterum affirmetur. VI. 6 4 *ἡ μὲν γὰρ τούτων αἰτίασις οὐκ ἔχει νῦν τέλος, ἀλλ' ἐν ὑμῖν ἐστι καὶ τῇ δίκῃ*; ib. 1 2, 9 1, 11 3, 18 1, 2, 18 2, 24, 29 2 (bis), 30 1, 30 3, 47 2; V. 10 4, 13 1, 13 2, 15 1, 2, 16 1, 21 4, 22 1, 30 1, 2, 29 2, 41 2, 48 1, 63 3, 63 5, 66 2, 68 3, 69 2, 75 3, 76 3, 85 6, 89 2, 90 5, 94 3, 94 5.

Duplex quaedam antithesis, cui etiam plus artis plerumque inest, mea quidem sententia fit, si ea in quibus contrarium illud, quod summa antitheseos est, cernitur, vel unde oritur, et ipsa sunt natura contraria et satis distincte expressa. VI. 26 2 *καὶ ἐγὼ μὲν ὁ τὴν αἰτίαν ἔχων καὶ ἀδικῶν, ὡς οὗτοί φασιν, ἕτοιμος ἦ αὐτοῖς κατ' ἐμαυτοῦ παρέχειν ἔλεγχον τὸν δικαιότατον· οἱ δ' αἰτιώμενοι καὶ φάσκοντες ἀδικεῖσθαι αὐτοὶ ἦσαν οἱ οὐκ ἐθέλοντες ἐλέγχειν εἴ τι ἠδικοῦντο.* Similiter ib. 6 2, 6 3, 7 1, 7 2, 9 1, 2, 9 3, 23, 25; V. 3 1, 5 1, 5 2, 5 3, 7 1, 2, 11 3, 12 2, 16 4, 33 1, 2, 35 2, 40 1, 2, 42 1, 43 2, 46 2, 47 5, 49 2, 4, 62 1, 2, 65 1, 71 1, 73 2, 73 3, 75 3, 80 2, 3, 85 7, 86 5, 88 2, 89 1, 90 6, 91 3, 5, 93 3, 4, 94 3.

Duplicis antitheseos species fit, ut Hermogenes (Speng. II. p. 236) docet, quum rei quae re vera exstat, contrarium quod non re vera exstat, hypothetica forma praeponitur. VI. 28 *ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδε ὦ ἄνδρες, ὅτι εἰ μὲν τούτοις ἐμοῦ κατεμαρτύρουν οἱ μάρτυρες οἱ παραγενόμενοι, αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις ἐχρῶντο καὶ πίστιν ταύτην σαφεστάτην ἀπέφαινον, τοὺς μάρτυρας τοὺς καταμαρτυροῦντας· τῶν αὐτῶν δὲ τούτων μαρτυρούντων, ἃ μὲν ἐγὼ λέγω, ἀληθῆ εἶναι, ἃ δὲ οὗτοι λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ κτλ;* ib. 29 2, 3, 30—31; V. 84 1, 2, similiter 32 3, quamquam duplex antithesis non est.

Aliud genus Hermogenes fieri docet, quum subjectum et objectum inter se commutentur; quod legitur VI. 27 *καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τούτων προκαλουμένων μὴ ἠθέλησα τοὺς παραγενομένους ἀποφῆναι, [ἢ] θεράποντας ἐξαιτοῦσι μὴ ἤθελον ἐκδιδόναι, ἢ ἄλλην τινὰ πρόκλησιν ἔφευγον, αὐτὰ ἂν ταῦτα μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ ἐποιοῦντο ὅτι ἀληθὴς ἦν ἡ αἰτία· ἐπεὶ δ' ἐμοῦ προκαλουμένου οὗτοι ἦσαν οἱ φεύγοντες τὸν ἔλεγχον κτλ.*, quamquam hoc etiam ad superius illud genus attinet; V. 38 3, similiter 59 2, 74 3.

Non minus artis inest in *ἀντιμεταβολῇ* quae vocatur. Ea fit si notiones inter se respondentes ita commutantur, ut quae in priore membro primum locum habet, in posteriore ultimum habeat, et vice versa. VI. 2 4 *ὥστ' οὐ δεῖ ὑμᾶς ἐκ τῶν λόγων τοῦ κατηγοροῦντος τοὺς νόμους μαθεῖν, εἰ καλῶς ἔχουσιν ἢ μή, ἀλλ' ἐκ τῶν νόμων τοὺς τούτων λόγους, εἰ ὀρθῶς ὑμᾶς καὶ νομίμως διδάσκουσιν ἢ οὔ;* V. 14 4, 54 3, 84 3.

Haud raro etiam una sententia non unum sed complura antitheta ita complectitur, ut mira colorum concinnitas existat, exempli causa VI. 7 — *καὶ οὐκ ἐλέγξαντες, εἴ τι ἀδικῶ, δικαίως με βούλονται τιμωρεῖσθαι, ἀλλὰ διαβαλόντες, καὶ εἰ μηδὲν ἀδικῶ, ζημιῶσαι κτλ.* Sed haec res magis ad parisosin attinet.

Atque quod jam ad antithetorum frequentiam pertinet, antitheti quod minus appellavimus quodque ex verbis tantum plerumque existere diximus, exempla in utraque oratione fere pari numero invenimus; alterius autem antitheseos in or. V. major est frequentia, quamquam variorum generum in utraque fere idem usus est.

Deinde si ad eas figuras convertimur, quae antitheticae dicendi rationi fere nunquam desunt, quippe quae verba in quibus antitheses positae sint, exornent, distinguant, tamquam ante oculos ponant, primum paronomasiam exhibeamus.

Paronomasiae facetum illud genus, quo eadem verba diverso sensu usurpantur, in oratt. V. et VI. non repperi. (cfr. Blass p. 144.) Admodum usitatum illud est, quod partim e sermonis graeci natura ipsa existit, partim facile est ad inveniendum, velut *δίκη* — *δικάζειν*, *πιστεύειν* — *ἀπιστεῖν*. VI. 2 2, 3 3, 4, 4 2, 5 3 (bis), 7 1, 7 2, 9 3, 10 2, 10 3, 10 4, 11 1, 11 2, 13 1, 14 3, 18 3, 22 2, 25 2, 26 2 (bis), 27 2, 28 1, 28 2 (bis), 29 1 (bis), 29 3, 30 2, 32 1, 37, 38, 39 1, 40, 43 2, 45 (bis), 46, 49 (bis), [50, 51]. V. 5 3 6 1, 10 4, 11 2 (bis), 12 2 (ter), 14 1, 14 2, 16 1 (bis), 18 1, 20 1, 20 3, 21 4, 22 3 (bis), 23 2, 3, 24 1, 24 3, 29 1, 32 1, 34 2, 36 4, 38 1, 2, 38 4, 42 1 (quater), 48 3, 49 2, 49 3, 49 4, 50 3, 50 4, 57 3, 4, 59 3, 60 2, 63 1, 63 5, 65 2, 66 1, 73 2, 73 3, 74 3, 75 1, 76 2, 77 1, 78 (bis), 79 1, 79 3, 82 3, 83 2, 84 1, 84 2 (ter), 85 5, 86 3, 87 1, 87 3 (bis), 91 1, 91 3, 92 1, 92 2, 94 4, 95 2. 3, 96 2.

Plus artis in hac figura cognoscitur, quum verba, quamquam non ex eadem formatione dicta, similiter tamen sonant, ut *ἀπολῦσαι* — *ἀπολέσαι*, *ἀγάγω* — *ἔγωγε*. Quod genus rarius legitur. VI. 15 2, 3, 36 3, 42 1, 42 4, 45, 46 1; V. 8 1, 12 1, 13 4, 15 2, 23 5, 63 6, 71 4, 79 6, 90 6, 91 1, 94 6.

Parecheseos figurae, quae fit quum fere incipiunt ab

iisdem litteris diversa verba, satis frequens est in utraque oratione usus. Ea autem figura quum persaepe nulla arte existat, in aures incidere non solet, nisi sunt verba haud ita pauca, vel alio modo insigniora. VI. 2 1, 7 2, 12 1, 12 3, 14 3, 17 2, 18 4, 19 1, 22 2, 24, 29 2, 29 3, 32 1, 32 2, 33 1, 33 2, 34 2, 34 3, 4, 36 2, 38 1, 41 1, 2, 43 2, 46, 49; V. 2 1, 2, 3 1, 3 3, 4, 5 1, 6 4, 7 1, 9 1, 9 4, 11 3, 13 2, 15 1, 17 2, 21 2, 21 4, 23 5, 27 3, 34 1, 49 2, 50 3, 55 1, 2, 50 4, 57 5, 59 1, 61 3, 62 3, 67 3, 75 2, 79 1, 89 4, 93 3, 94 6.

Parisosis sive isocolon sive parhomoeosis appellatur illa in struendis membris concinnitas. Rhetores enim de nomine dissentiunt, partim etiam de figurae natura. Quamquam plerique eam fieri docent, quum membra non modo eundem fere ambitum habeant, sed singula quoque verba inter se quodammodo respondeant. Ejusmodi figurae egregia exempla haec legimus: VI. 6 3 *τόν τε διώκοντα μὴ ὀρθῶς [αἰτιάσασθαι / καὶ ὑμᾶς τοὺς δικαστὰς μὴ ὀρθῶς] γνῶναι* (= V, 89); ib. 17 5 sqq., 29 1, 47 2; V, 46 2, 47 2, 51 1, 73 3, 89 1. Minus distincte haec: VI, 2 4, 7 2 (bis), 28 2 (bis), 32 1 (quamquam membra non ex aequo posita sunt), 46 3, 4, 44 1, 47 2, 48; V. 1 2, 2, 3 1, 2, 5 2, 11 3, 12 1, 14 4, 16 4, 22 3, 54 3, 54 4, 60 4, 63 1, 73 2, 73 4, 74 3, 79 7, 84 2, 84 3, 94 6.

Homoeoteleuton in or. V. non latius patet quam in VI. Usitatius est genus quod fit, si duo membra finitima in easdem syllabas desinunt, ut VI, 7 1 . . . *οὐ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχω περὶ τῆς ἀπολογίας / ἥνπερ οἱ κατήγοροι περὶ τῆς κατηγορίας;* ib. 2 2, 6 3, 7 3, 14 3, 15 2, 19, 22 2, 26 1, 27 1, 28 2, 29 2, 29 3, 32 1 (bis), 32 2, 34 2, 35 3, 38, 41 1, 42 1, 44 2, 45 2, 46 2, 3, 46 4, 49; V. 1 1, 5 1, 8, 10 4, 11 3, 12 1, 14 2, 21 2, 22 3, 26 5, 27 2, 3, 28 6, 31 3, 34 2, 40 2, 41, 45 2, 47 2, 51 1, 53 1, 59 1, 59 2, 61 2 (bis), 62 2, 63 2, 70 2,

73 2, 74 3, 78, 80 2, 80 3, 85 1, 2, 87 2, 87 3, 89 1, 90 2, 92 3.

Artificiosius haec figura usurpata est, si duo homoeoteleuta ita sunt conjuncta, ut posterioris prius membrum ante prioris posterius ponatur, velut V, 42 1 — *εἰρημένοις* / — *ἀπέλυε* / — *λεγομένοις* / — *ἔλεγε;* ib. 5, 30 1, 2, 45 1 (quamquam uno membro alieno intercedente), 77. Hoc genus in or. VI. semel tantum legitur 47 2. Sed hoc quoque haud sine arte factum esse apparet, quod VI, 18 1, 2 duo homoeoteleuta in chiasmum posita sunt, quamquam et hic alienum membrum intercedit: — *κρατεῖ* / — *γενόμενα* / — *ἀδικοῦντα* / — / — *ἀληθεῖ.*

Nonnunquam etiam simplex homoeoteleuton nec fortuito exortum esse et aures delectare videtur, quamquam alienum membrum interest: VI, 5 3, 9 3, 30 2, 34 1, 41 2; V, 2 1, 2, 13 1 (bis), 15 1, 2, 33 1, 2, 46 2, 52 2, 71 4, 75 1, 94 6, 7.

Antistrophe fit, quum in finitimis colis vel sententiis idem verbum in fine ponitur. Hac figura oratio VI. paulo rarius utitur quam V. Legitur VI, 26 1 *καὶ ἐξ ὧν γε χρὴ ἄνθρωπον ὄντα τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια πυνθάνεσθαι* / *ἐξῆν αὐτοῖς πυνθάνεσθαι* /; ib. 1 2, 5 1, 2, 5 4, 17 5 sqq., 31, 47 2 (bis); V, 3 2, 5 1 (bis), 12 2, 16 2, 20 2, 3, 27 2, 3, 28 2, 3, 30 1, 2, 34 1, 35 2, 38 1, 2, 42 1, 2, 45 1, 47 5, 51 1, 56, 57 1, 3, 58 3, 4, 5, 60 4, 63 4, 64 3, 4, 65 5, 76 4, 5, 87 2, 3, 91 7, 8.

Anaphora contra existit, si idem verbum identidem in colorum vel sententiarum initiis positum est. Apud Antiphontem haud ita rara quidem est, sed nonnunquam adeo non distincta, ut dubitemus num arte facta sit. Vi quadam profertur VI, 25 1 *ὅπου εἶεν μὲν ἐλεύθεροι πολλοὶ οἱ συνειδότες* / *εἶεν δὲ δοῦλοι κτλ.*, et V, 12 1 *ἀνώμοτος μὲν αὐτὸς κατηγορεῖς* / *ἀνώμοτοι δὲ οἱ μάρτυρες καταμαρτυροῦσιν κτλ.;* VI, 13 1, 2, 17 5 sqq., 19, 25 1 (bis), 29 2, 30 1, 2, 31 1, 34 3, 4, 39 2, 42 3, 46 3, 4;

V, 2 1, 2, 3 1, 2, 5 1, 5 2, 7 1, 2, 28 6, 7, 29 1, 2, 30 1, 2, 36 3, 4, 40 2 41 1, 44 3, 4, 45 1, 49 3, 50 3, 54 3, 58 1, 2, 3, 4, 5 59 1, 62 1, 2 (bis), 64 3, 5, 80 2, 3, 90 1, 3, 92.

Hanc quoque figuram orator alternis vicibus ponit V, 94 5, 6 *νῦν μέν — / τότε δέ — // νῦν μέν — / τότε δέ —*, similiter ib. 46 2, VI, 47 2.

Symploce constat ex antistrophe et anaphora una simul adhibitis, velut V, 58 3, 4, 5, *ἀλλά — αὐτόν // ἀλλά — αὐτόν // ἀλλά — αὐτῷ //;* ib. 30 1, 2, similiter 28 6, 7. Egregie hac figura utitur orator VI, 17 5 sqq. *καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν εἴ τις ἐκέλευσεν, ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ· οὐ γὰρ ἐκέλευσα. καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν κτλ.* (cfr. Blass. p. 132). Aliter V, 5 1, ubi anaphorae quasi subjuncta est antistrophe: *τοῦτο μὲν ἐάν τι — ἁμάρτω / — ἡμαρτῆσθαι // τοῦτο δὲ ἐάν τι — εἴπω / — εἰρῆσθαι*, qui locus simul homoeoteleuton atque parisosin habet. Minus artis prae se fert VI, 44 1, 2.

Cyclum apte Hermogenes, alii aliter figuram vocant, quum membrum vel periodus ad idem verbum revertitur in fine, a quo incepit. Sic fere se habet VI, 27 2, *ἐπεὶ δ' ἐμοῦ — ἐμοῦ //;* ib. 1 1; V, 36 4, 56 1.

Anastrophe contra vocatur, si idem verbum in posteriore membro primum ponitur, quod in priore ultimum locum habet, velut VI, 31 *ὑπ' ἐμοῦ / ἐμὲ δέ κτλ.;* ib. 44 1, minus distincte 6 1, 2, et V, 73 1, 2, 86 3, 34 1, 2.

Polysyndeton in or. VI. late patet, minus in V. Jam Blassius adnotavit maximum illud, VI, 45, ubi septem cola voce *καί* conjunguntur: *καὶ ἐν αὐτῷ — / καὶ εἰσιόντες — / — / καὶ εἰς τἆλλα — / καὶ θύων — / καὶ πρὸς τούτοις — / καὶ ἱεροποιῶν — / καὶ ἐπιψηφίζων — //.* Quum praeterea in singulis membris ipsis quinque alia *καί* insint, illis *καί* subjuncta, in hac periodo non minus duodecies habes hanc particulam. Etiam sententia quae sequitur (46 1) voce *καί* adjuncta est. Cum hac *λέξει εἰρομένῃ* — nam periodi nomine vix digna est sententia —

conferas V, 23 *καὶ εἴ τῳ τῶν ἄλλων ἐδόκει δεινὸν εἶναι, καὶ ἐμοὶ ὁμοίως· καὶ εἴς τε τὴν Μυτιλήνην ἐγὼ αἴτιος ἦ πεμφθῆναι ἄγγελον, καὶ τῇ ἐμῇ γνώμῃ ἐπέμπετο· καὶ ἄλλου οὐδενός κτλ.* Sic in or. VI. saepius sententiae voce *καί* conjunguntur. Alia polysyndeta sunt VI, 6 1, 11 3, 14 3, 15 1, 17 3, 18 3, 19, 22 2, 23, 25 1, 26 1, 27 1, 31 1, 33 2, 35 1, 38, 46 5, 48 1, 49 (bis); V, 7 3, 10 1, 11 3, 21 4—22 2, 38 3, 42 1, 44 2, 47 2, 62 2, 77, 78, 88 1, 96 2.

Asyndeton legitur VI, 39 2 *ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐν τῇ ἐμῇ οἰκίᾳ, ἐν τῇ σφετέρᾳ αὐτῶν κτλ.*; 4 1 *πόλεως, ἱερῶν, ἀγώνων, θυσιῶν κτλ.*; brevius V, 44 3 *νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν, ἐπ' ἀκτῆς ἢ κατὰ πόλιν.*

Ex earum figurarum numero, quae sententiae figurae vocantur, interrogatione saepissime et summa arte orator utitur. Usitatius genus illud, quum interrogatio ad eos qui audiunt dirigitur; quo aliquid vehementer affirmari aut negari solet, aut invidia miratiove moveri. VI, 32 2, 43 3, 47 1, 49; V, 16 4, 24 4, 36 2, 3, 4, 41, 45 2, 3, 53 2, 57 1, 4, 92 3, 95 4. Rarius, quia hoc plus artis habet, interrogatio ad ipsum qui dicit convertitur, ut tamquam secum colloqui et sibi ipsi rem indagare videatur. Plerumque etiam sibi respondet. VI, 34 3, 4 duplex ejusmodi interrogatio transitionem efficit. (Item V, 57 1); VI, 46 3; V, 28 2, 50 3; V, 58 1, 3 et 90 1, 3 duplices interrogationes cum responsionibus habes, dialogi modo; illud simul et symplocen habet et hypophoram. Hance figuram etiam habet interrogatio V, 63 1.

Hypophora non fit, nisi quod orator sibi ipse obloquitur, ipse finxisse et quasi ipse incusare videtur. Quod fit plerumque interragationis forma. Sic V, 58 1, 3, et 63 1. In or. VI. haec figura non reperitur.

Apostrophen non in VI. oratione, identidem in V. invenies his locis, ubi reus ad accusatores se convertit: V, 11 2—14, 15 1—17, 47 2—49, 59 1—60.

Ironia utitur orator V, 62 1, 2, similiter ib. 26 2. cfr. Blass. p. 185.

Prodiorthosis fere est VI, 8 2 illud de quo supra disputavimus: *ἐὰν ὑμῖν ἡδομένοις*, V, 5 1, 8, 46 1, 2; similiter 74 et 75. Etiam VI, 15 2, nisi hoc epidiorthosin appellari mavis.

Exclamatio semel occurrit VI, 40 *ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ πάντες*, non in or. V.

Emphaseos simile videtur illud V, 4 *ἐγὼ οὖν, ὦ ἄνδρες, αἰτήσομαι ὑμᾶς οὐχ ἅπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἀγωνιζομένων ἀκροᾶσθαι σφῶν αὐτῶν αἰτοῦνται κτλ.*

Quod ad grammaticam sententiarum structuram attinet, nonnulla addere liceat, in quibus proprietas quaedam Antiphontis perspicitur. Etenim jam Bellingius (l. c. p. 26) et similiter Goelkelius (p. 34) observarunt, quantum apud Antiphontem in struendis sententiis genus illud quod paratacticum vocatur valeat. Namque non solum enuntiata, quibus tamquam in struendo idem ordo debetur, pari loco ponuntur, sed saepe ea quoque, quorum pro recta cogitandi ratione unum alteri subjungere solemus. Atque hoc genus in prisca illa Antiphontis ratione dicendi multo latius patet, quam in posteriore eloquentia, quae sententias quasi in circuitum circumducere studebat. Ac primum quidem enuntiata causalia, quae vocantur, voce *καί* cum enuntiatis primariis conjuncta pari loco ponuntur, velut VI, 33 *ἡγοῦμαι μὲν οὖν καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων καὶ ἀποδεδειγμένων, ὦ ἄνδρες, δικαίως ἄν μου ἀποψηφίσασθαι κ α ὶ ἐ π ί σ τ α σ θ α ι ἅπαντας*, pro *ἐπισταμένους* vel simili quodam. Item fere se habent VI, 11 1, 25, 26 1, 34 2, 48; V, 5 1, 12 2, 23 6, 25 4 (cfr. Krueg. gramm. 69,6), 38 3, 70 2, 72 3, 76 2. Interdum autem

ratio causalis quum propter paratacticam structuram in obscuro sit, in secundo membro additamento aliquo explanatur: V, 18 1 . . . *ἔπειτα κακοπαθεῖν* (*με*) *τῷ σώματι, τούς τε φίλους προθυμοτέρους ἔχειν τοὺς ἐμαυτοῦ, τούτοις τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν ἢ ἐμοὶ τἀληθῆ λέγειν, διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν.* Similiter VI, 36 2. Etiam ex antitheseos forma ([*μέν*] — *δέ*) membra conjunguntur, VI, 12 3, V, 35 2, 79 3, 80 3. — Enuntiata quorum unum alterum explicat, item pari loco ponuntur voce *καί* etc. conjuncta, velut VI, 7 2 . . . *βούλονταί με ζημιῶσαι καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης;* ib. 4 1, 18 2, 28 1, 36 2, 41 2, 46 1; V, 33 2, 36 1, 40 1, 46 3, 68 3. — Enuntiationes concessivae antitheseos modo pari loco positae sunt VI, 7 2, V, 76 3. — Bellingius (p. 26) etiam ostendit saepe totas sententias, quamquam per rationes quae inter eas intercedant licuerit, in periodicum circuitum non inclusas esse, velut II *β* 4 1 facile sic dici potuerit: *καίπερ ἄθλια οὖν πάσχοντι ἐμοί, μὴ ἀπολογεῖσθαι μόνον βιαζομένῳ ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀποκτείναντας φανεροὺς καταστῆσαι, ὅμως καὶ τοῦτο ἐπιχειρητέον* pro: *ἄθλια μὲν οὖν πάσχω . . . ὅμως δέ κτλ.* Recte sane; sed in hac re pauca exempla insigniora sufficiant: VI, 3 1, 2, 26 2, 3, 35 2, 3, 42 2, 3; V, 17 2, 3, 4, 19 1, 2, 26 2, 3, 44 2, 3, 4, 47 3, 4, 75 3, 4.

Deinde in manifesto est quantopere in deliciis habeat orator, membra verbis correlativis tamquam artius coagmentare. Goelkelius (p. 41) pauca exempla affert; ex re autem nobis proposita esse videtur, hanc materiem, quantum possumus, ex oratt. V. et VI. supplere. Ac primum quidem enuntiata relativa artius adjunguntur pronomine demonstrativo, sive hoc iis antecedit, sive ea sequitur. VI, 1 2 *τοῦτο γοῦν ὑπάρχειν, ὅπερ μέγιστον ἐγὼ νομίζω ἐν πράγματι τοιούτῳ;* ib. 5 2, 6 1, 6 5, 7 1, 9 3, 10 2, 10 3, 17 2, 18 4, 34 2, 37 1, 40, 41 1, 43 2, 47 2, 49, [51]. Etiam VI, 17 1 in horum numero habendum

erit, siquidem Fuhrii lectio nobis probabitur: *οὗτος ἔνοχος ὅς*, aut Jernstedtii: *ὡς οὗτος ἔνοχός ἐστι τῷ φόνῳ ὅς*. Mihi quidem etiam VI, 45 1 apodosis deperdita pronomine *οὗτος* adjuncta fuisse, et hoc cum altero *οὗτος* quod sequitur commutato lacuna orta esse videtur. In or. V. haec exempla occurrunt: V, 10 3, 15 3, 21 2, 28 6, 30 1, 30 2, 32 1, 38 1, 42 1, 46 2, 53 4, 54 1, 60 3, 66 1, 75 3, 79 1, 88 1, 89 3, 92 3, 94 4. — Eodem modo fit in enuntiatis temporalibus VI, 9 1, 38; V, 2 1, 2 2, 25 2, 29 1, 33 2, 55 4, 62 2. — In enuntiatis condicionalibus V, 32 3 (*εἰ — ἐν αὐτῷ τούτῳ*), 66 2 (*ἐάν — ἐν τούτῳ*). Goelkelius in illorum numero etiam habet V, 78 1 (*εἰ — τοῦτο*). Quod si jure faceret, enumeranda essent etiam V, 38 3, 64 2, VI, 27 1, 28 1, 48. At mihi V, 78 1 vox *τοῦτο* non tam significare videtur: tum, quam: hoc, sc. *χωροφιλεῖ*. Atque eodem modo ceteris illis locis demonstrativa ad ipsas res referenda esse puto, quae cum certa condicione positae sunt. — In enuntiatis causalibus VI, 6 1, V, 3 2, 88 1. — In finalibus VI, 15 2, 33 2. — In consecutivis VI, 4 2, V, 43 2. — Quod ad ceteras enuntiationes secundarias pertinet, enumerari possunt epexegeseos quaedam exempla, quae infra quoque memorabimus: VI, 15 2, V, 54 2, 60 1, 65 1, 65 5, 32 1, 39 1, 46 3, 71 3, 84 1, deinde VI, 28 1, V, 8 1, 9 2. — Infinitivi epexegeseos modo adjunguntur demonstrativis VI, 9 2, V, 5 1, 18 1; item participia VI, 46 5, 48, subsequente demonstrativo VI, 35 3, 44 2, V, 37 2, 75 1, 93 4. — Interdum nomen antecedens demonstrativo repetitur atque urgetur: VI, 23, 44 1, V, 3 1, 19 3, 42 1, 48 1. — Nonnunquam etiam oratorem in hujusmodi structuris, quantum ad pronominum numerum attinet, ab usitata ratione recedere ostendit Goelkelius exemplis his: V, 84, ubi *τάδε* ad *ὅτι* refertur, VI, 6 1 = V, 88 1 *αὐτῶν δὲ τούτων ἕνεκα — ὅτι*, VI, 41 *ἅ — τοῦτο δέ*. Nos addamus VI, 28 1 *τάδε — ὅτι*, V, 39 1 *τάδε — ὅτι*,

V, 75 1 *ἀναγκάζων — ταῦτα*. At VI, 6 1 (= V, 88 1) mihi quidem hoc propterea factum esse videtur, quod demonstrativum etiam ad ea refertur quae antecedunt, neque aliter V, 60 1 *ταῦτα — ὡς*.

Recte Goelkelius (p. 37) monet appositione saepe ac libere uti esse illius vetustioris dicendi rationis, quae a structuris paratacticis ad hypotacticas progrediatur. Quare appositio num ita apud oratorem nostrum se habeat exquirere operae pretium videtur. Ac primum quidem appositio synthetica quae vocatur non legitur nisi VI, 44 1, 2, item semel tantum parathetica VI, 22 2, saepius partitiva VI, 18 4, 23, V, 20 2, 24 1, 51 1 (haec tamen haud longius abest ab epexegesi quam V, 20 2), 69 5, 81 3. Epitheticam habes VI, 3 1, 2, 6 3, 12 3, 26 2 (bis), 36 2, 45 2; V, 34 1, 38 2, 42 1, 47 1, 77 1, 85 7, 89 1. In quibus habent aliquam vim oratoriam hae: VI, 26 2, V, 34 1, 38 2, 85 7. In istorum igitur generum usu peculiare quidquam Antiphontis haud perspicitur; at in appositione epexegetica qua orator saepissime utitur. Epexegetica nominis formam habet VI, 13 1, 16 2, 20, 43, 46 2; V, 10 3, 61 1, 76 5, 81 1; interdum epexegesis eo tantum consilio additur, ut notionem antecedentem repetat eique aliquid ponderis afferat, velut V, 35 2; idem forsan judicandum sit de V, 11 3 (cfr. V, 3 2); aut ut explanet ac determinet, quae ratio intersit inter eam notionem atque ceteras. Etenim jam supra memoravimus V, 18 1 *ἔπειτα κακοπαθεῖν τῷ σώματι κτλ.*, ubi ratio causalis propter paratacticam structuram subobscura explicatur epexegesi: *διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν*. Similiter VI, 36 2 ejusmodi structurae obscuritas ita tollitur, ut quum in priore membro (*καὶ οὔτ᾽ ἄν* —) vis causalis parum eluceat, in altero ea explanetur genetivo absoluto (*ἐπεξιόντος*); cfr. V, 3 1. — Ex infinitivi forma dicitur epexegesis VI, 1 2, 9 2, V, 18 1, ita quidem ut ad demonstrativum referatur. Ad relativum revocanda

est V, 47 4, similiter V, 4 1, nisi hoc loco cum Goelkelio illud *ἀκροᾶσθαι σφῶν αὐτῶν* parenthesin appellari vis; cfr. Krueg. gramm. 51, 12 adn. Etiam V, 17 5 in verbis *μὴ ὠφελῆσαι κτλ.* fere epexegeseos vis inest. — Epexegesium participii forma pronuntiatarum eae quae leguntur VI, 48 et V, 30 3 nihil inusitati habent. At VI, 28 1 et 31 pro communi dicendi ratione infinitivum exspectaveris. Ad VI, 28 1 Goelkelius adnotat haec: „Man sieht aber wohl, um wie viel ausdrucksvoller und anschaulicher die Wahl des Participiums ist; es wird zum Beweis nicht herangezogen eine Handlung, sondern die leibhaftigen Träger derselben." Ceterum etiam haec epexegesis repetit atque urget. Atque quod vir doctus hoc loco de vi participii docet, non minus quadrare videtur in VI, 31. Similiter V, 67 1 pro *εὑρεθέντας* etc. infinitivum exspectaveris sive cum sive sine verbo *ὥστε*; hoc igitur loco epexegesis eo fit, quod secundum membrum non pendet ex *γεγονός*, sed ex *ἐπίσταμαι.* VI, 46 5 verba *οὐχ ἡγούμενοι*, ut multis aliis locis fit, ea quae antecedunt, repetunt et urgent. Participium illud est epexegesis verborum *τούτου αὐτοῦ ἕνεκα*, quamquam haec verba simul ad primum membrum (*συνῆσαν κτλ.*) referenda esse apparet. Etenim ejusmodi duplicem pronominis relationem et ad ea quae sequuntur et quae antecedunt, non alienam esse ab Antiphontis usu haud dubie demonstrat V, 47 4, ubi vox *ὅ*, quae ad antecedentia refertur, simul explicatur appositione. Item se habet V, 10 3 (*οἳ — ἐνταυθοῖ — ἐν τῇ ἀγορᾷ*). Eadem duplex relatio est VI, 6 1 (= V, 88 1) verborum *αὐτῶν δὲ τούτων ἕνεκα*, et VI, 28 1 verborum *πίστιν ταύτην.* Goelkelius hoc jam suspicatus est (p. 42) de V, 3: bei Ant. V, 3 scheint sich das Pronomen zugleich auf den vorhergehenden Satz und auf das folgende *διότι* zu beziehen, und zwar in der genauen bei Antiphon besonders beliebten Corresponsion mit dem vorhergehenden Satz, wo *αὐτοῖς τούτοις* nicht nur auf das

Vorhergehende Bezug nimmt, sondern auch durch das Folgende erklärt wird etc.“ Ceterum illo loco, dico VI; 46 5, pro participio quispiam exspectaverit enuntiatum secundarium, velut *διότι οὐχ ἡγοῦντο κτλ.* Attamen Krueg. gramm. 56, 12, 1 paria exempla affert ex Plat. Phaed. 102 *Λέγω τοῦδ' ἕνεκα, βουλόμενος δόξαι σοὶ ὅπερ ἐμοί*, atque 59, 1, 7 ex Isocr. XV, 69 *τούτου ἕνεκα — ἡγούμενος*, similia denique 56, 12, 4, ex quibus effici mihi videtur, hoc struendi genus usitatius esse quum participium pronomini antecedat. Quod fit V, 37 2 *ἡγήσατο τἀληθῆ κατειπὼν διὰ τοῦτο σωθῆναι ἄν.* Cum VI, 46 5 prorsus convenit V, 31 3 maximeque V, 36 1 *ἐχρῆν — αὐτούς — ἐνθάδε παρέχοντας τὸν μηνυτὴν αὐτὸν ἀπελέγχειν ἐμέ, καὶ αὐτῷ τούτῳ χρῆσθαι ἀγωνίσματι, ἐμφανῆ παρέχοντας τὸν ἄνδρα κτλ.* — Saepissime epexegesis constat ex enuntiato secundario. Tali epexegesi nomen substantivum explicatur VI, 10 4, 24, 27 1, 27 2, 32 1, 38, 41 3; V, 11 3, 38 4, 50 2, 59 1, 63 4, 64 2, 83 4. Recte Goelkelius ex V, 63 4 efficit ex hoc epexegeseos genere prolepsin quae vocatur principium suum ducere, memoratque verba Spengelii (Syn. techn. p. 9): „Naturalis enim illa dicendi facultas — quod proxime in animum venit, id omni effundit vi.“ Mihi isti exemplo addere liceat V, 21 2. — Eodem modo quo substantivum explicatur pronomen VI, 6 1, 15 2, 20; V, 36 2, 3, 36 4, 54 2, 60 1, 65 1, 65 5, 88 1. Hoc genus artissime cohaerere cum illo de quo egimus oratoris studio sententias tamquam correlativis coagmentandi apparet maxime ex his exemplis: V, 32 1, 39 1, 46 3, 71 3, 84 1.

Jam vero pauca iis addamus, quae Goelkelius de infinitivi cum articulo conjuncti apud Antiphontem usu disputat. Vir doctus ait (p. 14 et 16) apud Antiphontem in omnibus casibus dici infinitivum, attamen raro esse cum articulo conjunctum, ac persaepe hunc desiderari ubi posteriorum scriptorum consuetudo eo utatur.

Quod spectantes si oratt. V. et VI. perlustramus, primum notandum est in or. VI. ne semel quidem infinitivum cum articulo conjunctum esse, sed in V. saepius. Tamen orationes infinitivi usu non discrepant. Adjectiva verba velut *ἄξιος, αἴτιος, ἱκανός, πρόθυμος* etc. neque in or. V. neque in VI. habent infinitivum cum articulo, bis tantum legitur *ἄπειρος τοῦ ἀγωνίζεσθαι* V, 3 3 et V, 7 1. Magis haereo in eo quod V, 8: *ἕνεκά γε τοῦ πιστεύειν ἐμοί τε μηδὲν ἐξημαρτῆσθαι εἰς τόδε τὸ πρᾶγμα, καὶ ὑμᾶς γνώσεσθαι τὰ δίκαια* non habemus *τῷ μ. ἐξημαρτῆσθαι.* Sane quidem post *πιστεύειν* solus infinitivus dici potest, sed, ut opinor, semper significat: sperare aut credere aliquid, secundum structuram *πιστεύειν τι.* Significat quidem illo loco vox *πιστεύειν*: sperare, si eam ad *ὑμᾶς γνώσεσθαι κτλ.* revocas; si vero ad *μηδὲν ἐξημαρτῆσθαι*, haud dubie: fiduciam collocare in aliqua re, h. e. *πιστεύειν τινί.* cfr. Thuc. II, 22 *πιστεύων τε ὀρθῶς γιγνώσκειν περὶ τοῦ μὴ ἐπεξιέναι*, credens sese recte cogitare de etc.; sed ib. V, 3 *τῷ λέγειν πιστεύσας*, eloquentia fretus. Quid dicamus quamobrem V, 8 *τῷ* sit omissum? Nihil invenio equidem, nisi factum est studio membra concinne componendi; quoniam verbum *γνώσεσθαι* articulum habere non potest. Quamquam mirum videtur *πιστεύειν* uno eodemque loco diversa significare. Sed equidem acciverim VI, 34 1, ubi verbum *ἠξίουν* ad *αἰτιᾶσθαι* relatum significat: volebant, ad *ἀδικεῖν*: existimabant. Tollitur quidem hoc, quamvis Hartmanus neget, Jernstedtii lectione *ἀδικεῖσθαι* pro *αἰτιᾶσθαι.* Forsitan autem hic locus illum, ille hunc tueatur. — Laxiorem interdum apud Antiphontem infinitivi esse structuram ostendunt exempla haec: V, 32 1 *πρὸς τούτων εἰσὶν οἱ βασανιζόμενοι λέγειν ὅ τι ἂν ἐκείνοις μέλλωσι χαριεῖσθαι*, V, 32 3 *ἀπετρέπετο μηδὲν κατ᾽ ἐμοῦ καταψεύδεσθαι*, V, 17 5 *ἐμοὶ μόνῳ ἐπέλιπε μὴ ὠφελῆσαι τοῦδε τοῦ νόμου.* V, 32 1 recte *ὥστε* exspectaveris, quamquam illud *πρός*

τινος εἶναι non procul abesse videtur a *πρόθυμον εἶναι.* V, 17 5 verbum *ἀπολείπειν* habet *μή* c. inf. ut vulgaria verba negationis. Itidem V, 32 3 verbum *ἀποτρέπειν*, quamquam genetivum casum secum habere solet. — Quod attinet ad orationis V. infinitivos cum articulo conjunctos, jam memoravimus V, 3 3 et 7 1 *ἔμπειρος τοῦ ἀγωνίζεσθαι.* V, 3 2 articulus desiderari non potest, quia infinitivus in casu dativo dicitur, item V, 8 *οὐ τῷ φεύγειν* et V, 54 1 *τῷ μὴ διαμνημονεύειν;* V, 8 *ἕνεκά γε τοῦ πιστεύειν*, 37 2 [*διὰ*] *τὸ ψεύδεσθαι*, 73 4 *ἐν τῷ ἐπισχεῖν*, 93 3 *διὰ τὸ μὴ ξυνειδέναι* praepositiones articulum postulant. Etiam V, 10 1 articulus a viris doctis restitutus est, quum propter illud *αὐτό* desiderari non possit. Illud autem *τό* forsan eos quoque articulos effecerit, qui ante verba *ἱεροσυλεῖν* et *προδιδόναι* leguntur; namque orator fere illudens accusatorum verba imitari eaque continuare videtur. V, 51 1, 91 1, 94 2, 3 infinitivus cum articulo in antithetis dictus est, quae mihi quidem ille multo distinctiora et acutiora reddere videtur, velut V, 94 *τὸ δὲ τοὺς κατηγόρους διαβάλλειν οὐδέν ἐστι θαυμαστόν· τούτων γὰρ ἔργον τοῦτο, ὑμῶν δὲ τὸ μὴ πείθεσθαι τὰ μὴ δίκαια*, in quo verbum *πείθεσθαι* haud dubie articulo carere poterat. Tamen additus mihi videtur sicut V, 8 concinnitatis causa atque ut contrarium niteat. Praeterea habet infinitivus articulum V, 43 2, 91 6, 94 3 (genet.). Omnia si respicimus etiam in or. V. orator in conjungendo articulo cum infinitivo parcus putandus est. Deinde quum in or. VI. hic illic eo uti posset, neque in or. V. similibus locis eo usus est. Quod Dionysio auctore (*π. συνθ. ὀνομ.* c. 22) apud veteriores potissimum scriptores fieri solet.

Etiam de locis quibusdam Antiphonteis aspere et incomposite dictis disserit Goelkelius (p. 44 sqq.), ex quibus in universum appareat apud Antiphontem periodicam illam dicendi rationem haudquaquam esse ad perfectionem

adductam. In istis locis nobis spectandi sunt VI, 34, 41, 45, V, 11—12, 48, 78, 93. Et VI, 34 quidem, quem locum jam arcessivimus, inusitata vis inest in *ἐμέ*, quippe quod sit et objectum verbi *αἰτιᾶσθαι* et subjectum verbi *ἀδικεῖν*. Non minus fere offendimur mutatione subjecti V, 48 *καίτοι οὐδ' οἱ τοὺς δεσπότας ἀποκτείναντες — ἀποθνήσκουσιν ὑπ' αὐτῶν τῶν προσηκόντων, ἀλλὰ παραδιδόασιν αὐτοὺς τῇ ἀρχῇ κτλ.* Quod vero VI, 34 verbum *ἠξίουν* simul diversa significat, supra attulimus illud *πιστεύειν* ex V, 8. Quare vereor ne injuria viri docti hunc locum labefactent. VI, 45—46 hiat structura propter nimium sententiarum concursum, ita tamen, ut repetitio exordii (*καὶ οὗτοι παρόντες κτλ.*) perspicuitati inserviat. Itidem V, 11—12 et V, 46, ubi Goelkelius anacoluthiam consulto factam esse censet. VI, 41 3 nimis solutam esse verborum compositionem ait: *καὶ πρῶτον ἃ τοῦ βασιλέως κατηγοροῦσι καὶ διὰ τὴν ἐμὴν σπουδὴν οὔ φασιν ἐθέλειν αὐτὸν ἀπογράφεσθαι τὴν δίκην, τοῦτο δέ κτλ.* VI, 23 aliquis exspectaverit post *εἰ δὲ μή* obliquam orationem continuari. Quare Dobreeus legi vult *ἕτοιμος εἶναι;* attamen propter *ὡμολόγουν* probanda mihi videtur Jernstedtii et Blassii lectio *ἕτοιμος ᾖ*. Denique iterum commemorare liceat, singularem illam structuram V, 67 1, ubi secundum membrum aliter atque consuetudo fert, pendet non ex *γεγονός* sed ex *ἐπίσταμαι*. Hoc enim participium appositum (*εὑρεθέντας*) multum differt ab exemplis quae Krueg. gramm. 56, 15, 3 afferuntur; in quibus idem subjectum participia commune habent.

De particularum apud Antiphontem usu accurate disputaverunt, quos supra memoravimus, Schaeferus et Wetzellius. Ille vir doctus commode rem ita instituit, ut orationem I. et tetralogias disputatione sua complecteretur, eodemque modo oratt. V. et VI. Ejus qui adierit libellum p. 16, 27, 32 sqq., 38 sq., 40, 45, 48, ubi hasce orationes tractat, particularum usu eas optime inter se

convenire intelleget. Neque habeo quod illius disputationi addam; nisi quod falso docet (p. 33), quandoquidem utriusque orationis ambitum respicimus, in or. V. saepissime, in or. VI. rarius anaphoram inveniri; in or. VI. terdecies, in V. ter et vicies legitur. Pauca tamen sunt quibus inter se differunt, quibusque Wagenerus (p. 111) orationis VI. auctoritatem labefactari docet. Primum igitur suspicionem habere ait quod particula γέ in or. V. tricics semel („immo bis et tricies, neglexit enim particulam in § 61" Schaef.), in or. VI. sexies tantum („neglexit γέ in § 26" Schaef.) inveniatur. Ad quod Schaeferus (p. 46): „Sed hi et similes quos affert numeri apud Antiphontem quidem nihil demonstrant..... Nam quae particula modo ei in mente erat, eam saepissime usurpavit, tum vero, quasi memoria ejus abjecta, omnino fere neglexit. Itaque in ipsa or. V. hanc ipsam particulam γέ per duodecim paragraphos (§ 29—§ 40) ne semel quidem legimus etc." Alia exempla videas ibid. p. 47. — Quod deinde formulam μὲν γάρ or. VI. novies, or. V. contra sexies et tricies, fere duplo igitur saepius habeat, memineris illam in or. V. plerumque in antithesi versari, quae in or. VI. tam late patere non possit. — Tum formula τοῦτο μέν — τοῦτο δέ, quam jam Blassius et Spengelius orationi VI. deesse monuerunt, in or. V. undecies legitur. In hanc quoque quadrare videtur quod Schaeferus de particulae γέ usu docet. Ter legitur per quattuor paragraphos (50—53), ter per duas et quadraginta (54—96). Narratio eam ne semel quidem habet, quod propterea alicujus momenti mihi esse videtur, quod orationis VI. fere maxima pars versatur in narratione.

Quod denique in or. V. saepius verborum formae leguntur, quae vetustioris sermonis attici propriae sunt, velut πράσσω, ξύν, quam in or. VI., fere ad nihilum recidere opinor, quum Antiphontis codices tam recentes

et omni modo corruptos esse constet. Haud dubie etiam or. VI. multo plus quam ceterae depravationis experta est. Atque quantopere hae res casui vel errori ludibrio fuerint, potissimum intellegitur usu vocis *σύν*. Hac ipsa forma or. V. sicut VI. semper utitur exceptis §§ 78 (*ξυμβόλων*) et 87 (*ξυνειδώς*) et 93. In hac una paragrapho deinceps legitur: *ξυνῄδη* — *συναγωνίζεσθαι* — *συνειδότι* — *συνεξέσωσεν* — *ξυνειδέναι* — *ξυνειδότι*. Ceterum formam *κρεῖττον* habes in frgm. 69, forma *ἅττα* Antiphontem etiam in or. pro Myrrho usum esse testatur Suidas frgm. 34 et 35; eadem utitur orator frgm. 27. In or. VI. (§§ 15, 26) etiam legitur *παρῇ* et *ἦ* pro *ἦν* etc. sicut in frgm. 1. Formam *ἐς* pro *εἰς* neque or. VI. neque V. habet.

Ut denique colligamus atque sub uno tamquam conspectu ponamus, quae oratt. V. et VI. communia habeant, quae utriusque propria sint, sic fere judicandum esse puto. — Primum quidem ex enumerationibus nostris elucet recte se habere Blassii sententiam, qui orationis VI. periodos majoris esse ambitus dicit. Pleraeque enim orationis V. periodi duo vel tria cola complectuntur, pleraeque orationis VI. fere tria vel quattuor. Periodi quae plus quattuor membra habent, in or. VI. paene duplo saepius leguntur. Monocolarum periodorum in or. V. plus duplus est numerus. Deinde quod non minoris momenti est, periodi quarum membra ex aequo sunt posita, duplo saepius fere leguntur in or. V. Quae discrepantiae unde oriantur facile intelleges. In argumentatione enim artificiosa, contorta, difficili, omnis generis probationibus tota vis et opera posita est orationis V. Atque plurima argumenta sunt *εἰκότα* illa, in quibus veteres jam Antiphontis praestantiam agnoverunt. Fiunt autem plerumque quum res inter se comparantur; binas notiones vel sententias

componendi studio gignitur antithesis. Quae figura, ut supra diximus, multo latius patet in or. V. quam in VI., scilicet non illud antitheton, quod a nobis minus appellatum, in utraque oratione fere aeque frequens est, quodque verbis solis plerumque fit et ornate dicendo inservit, sed illud quod quamquam ex ipsis rebus sumptum atque in sententiis positum majore tamen arte non caret. Ejusmodi autem rerum, unde antithesis fiat, singularis illa ac subobscura causa, ad quam oratio V. pertinet, ingentem numerum praebet. Quare non modo prooemium et epilogus, quae tamquam hujus figurae sunt propriae provinciae, sed tota fere argumentatio in antithetis versatur plurimis. Apparet autem orationem ea figura apte usque uti non posse, nisi sententiae et membra brevia sunt, et id ante omnia proferunt, quod summa sententiae est. Sententiis enim longius productis, enuntiatis crebro insertis atque subjunctis plerumque antitheseos vis tamquam obruitur atque obscuratur. Quare enuntiata causalia, restrictiva, finalia quae vocantur, alia id genus persaepe, sicut etiam vetustioris sermonis mos est, pari loco ponuntur aut proprio loco particulis, maximeque voce γάρ adjunguntur. Unde tantam periodorum monocolarum frequentiam fieri puto. Saepissime denique non modo antitheseos sensus ipse, sed etiam hujus figurae perspicue et distincte exprimendae ratio poscere videtur, ut enuntiatis in quibus antitheton versatur, quasi idem in struendo ordo grammaticus tribuatur. Ea de causa tantus esse videtur numerus sententiarum in oratione V., quarum membra sunt pari loco posita.

In oratione VI., ut supra docuimus, argumentationem multis et artificiosis indiciis fieri non modo non oportet, sed ne potest quidem fieri. (cfr. Blass. p. 200 sq.) Postquam choragus istarum rerum, quae tum in choro acciderint, nihil ad se pertinere testimoniis probavit, ipsum crimen jam refutatum est. Deinde autem enarrat quae

antea inter se ipsum et accusatorem intercesserint, qua in narratione tanta inest vis auctoritasque, ut tota accusationis fides funditus tollatur, omnium qui audiunt existimatione accusator tamquam condemnetur. Quare in his rebus non modo maxima argumentationis pars versetur necesse est, sed etiam oratio sit concitatior, magis perpetua quam concisa, dicendi quasi flumen latius et majore impetu et uberius decurrat. Etiam omni narrationi ampliores periodi magis sunt appositae quam antitheticae isti argumentandi rationi. Quamquam in oratione V. narratio, quae quidem argumentationi praemissa est, brevibus et concisis sententiis incedit, quum neque animos movere possit, et una quaeque res tantum ponderis habeat, ut ab aliis separata in aures influere debeat. Attamen conferas orationis V. §§ 77—78, ubi narratio quae est de patre accusati amplis periodis et polysyndetis utitur. Deinde tali dicendi ratione uti etiam magis aequum est narrationem, qua adversarius impugnetur. Impugnari enim fere dicemus Philocratem, quum crimine ipso jam refutato bis nefariam ac fallacem delationem pecuniae causa ausus esse perspicuis probationibus arguatur. Neque fieri potest quin et ipse reus tanta nequitia valde commoveatur, atque judices ad eandem iram adducere studeat. Quam ob rem equidem fere ineptum fore censeam, qui tam indigna accusatorum facinora sedata illa ac grandi dicendi ratione ante oculos poneret, qua oratio V. apte utitur. Atque concitatiori orationis VI. generi maxime inservire videntur figurae quae ad sensum spectant. Ad eas quod pertinet ex enumeratione nostra satis apparet non, quod Wagenerus (p. 111) vult, qui Blassii verba (p. 202 sq.) parum intellexisse videtur, interrogationem, anaphoram, asyndeton, quamquam hoc in oratione VI. plus artis atque ponderis habet, hujus orationis propria esse, sed tantum exclamationem. Contra figurae, quas oratio V.

sibi vindicat, plures sunt, hypophora, apostrophe, ironia, emphasis. Injuria etiam Blassio videtur in oratione VI. anaphorae et interrogationis usus multo latius patere. Istis igitur figuris, quum praesertim omnino haud ita saepe orator iis utatur, minus mihi quidem effici videtur πάθος illud quod Graeci vocant in oratione VI. Sed primum quidem multo major est frequentia polysyndetorum in hac oratione, deinde multo copiosius dicendi genus. Atque animadvertendum puto in oratione V. tantam esse singulorum argumentorum gravitatem, tantam antithetorum multitudinem et artem, ut si qua orator figuris quae ad sensum attinent utatur, minus in aures influant, in oratione VI. autem has figuras ipsas fere lumina esse dicendi, ut nulla aures effugere possit. Contra in hac oratione figuras epideicticas, quamquam eorum idem fere numerus est qui in oratione V., minus conspicuas esse arbitror, quum rarius antithetica sententiarum forma et structura adjuventur. — Sed ut illuc redeamus, recte Blassius monet orationis VI. reum acrius et commotiore animo dicere licere, quippe qui non sit homo adulescens ut Mytilenaeus ille, non peregrinus, Athenis ignotus, sed vir longius aetate provectus, majoris auctoritatis, civis, qui et duas certe choragias praestiterit et senatorio munere functus sit, et haud dubie in rebus publicis multum versatus. Quamquam Blassius choragi ἦθος quod vocatur non aliter atque Mytilenaei illius se habere docet, quum uterque probi ac simplicis ingenii speciem prae se ferat. Idem vir doctus inter orationis VI. prooemii elocutionem ceterarumque partium aliquantum interesse docet. Quod nemini fere non probatur. In hoc prooemio non est orator acer, non concitatus, sed grandis et compositus, sententiis gravibus, antithetis multis utitur sicut in oratione V., atque quod plurimum refert, non modo in locis geminis sed in iis pariter quos oratio peculiares habet. Eodem

modo de προκατασκευῇ illa judicandum mihi videtur. Sed aliis quoque locis orationum dicendi rationes minus inter se abhorrere puto, locum istum, quem memoravimus, orationis V. §§ 77—79, proxime accedere ad orationis VI. narrandi rationem, orationis VI. § 31—33 et §§ 41—44 ad usitatam orationis V. elocutionem, similiter saepius. Cur vero orationis VI. prooemium a cetera parte ita recedat, causa non obscura est. Ipsae enim res de quibus ibi disputat orator grande illud dicendi genus patiuntur ac fere postulant, pedestre concitatumque respuunt. Atque ex ejusmodi rebus prooemium sumptum cum Antiphontis consuetudine optime convenire opinor. Conferas praeterea velim quod Quintilianus de hac re docet (IV, 1, 55): etiam in causa indubitabili fiduciam in prooemio se ipsam exserere nimium non debere; in principio enim odisse judicem fere litigantis securitatem. — Ut denique etiam hoc commemorem, in amplioribus istis orationis VI. sententiis, nonnunquam polysyndetis tantum neque ulla cum arte longius productis, si qui aequabilem verborum circuitum aptamque conclusionem desiderant et Antiphonte idcirco indignas esse dicunt, equidem propter hoc ipsum orationem vetustiori illi eloquentiae aetati vindicaverim, qua periodicum dicendi genus nondum florebat. Omnino non mihi videtur satis probata eorum sententia, qui quibuscunque orationes inter se discrepant, in iis diversos orationum auctores agnosci existimant. Neque cum Wagenero mihi persuadere possum, falsarium ineruditum iis rebus, quae difficilius investigentur, dico illas quae ad grammaticam verborum et enuntiationum structuram pertinent, orationem V. egregie imitando expressisse, ea autem, in quibus etiam qui obiter legant statim Antiphontis proprietatem cernere soleant, vel plane non vidisse vel certe non consectatum esse, non finxisse causam talem, quae multis rebus esset instructa, quam ad multiplicem

et artificiosam argumentandi rationem, ad contentionum et antithetorum usum, ad grande compositumque dicendi genus admovere parum liceret. Neque etiam Wagenerus recte docet aut orationem VI. subditiciam judicandam esse, aut Antiphontis gradus tamquam et processus dicendi tales fuisse, ut orator jam senex a grandi compositoque genere ad commotius illud et acre progrederetur, quod oratio VI. contineat. Quae mutatio sane et ab ipsius animi humani consuetudine abhorreret, et propterea cogitari non posset, quod haud ita magno temporis spatio intermisso orationes V. et VI. conscriptae esse videntur. Sed mihi quidem Antiphontis ingenium complura dicendi genera, qualia quidem in uno oratore esse possunt, complexum esse videtur, et ad orationem VI. id potissimum genus appositum esse intellexisse, in quo ea versatur. Similiter jam Hoppius de oratoris ἠθοποιΐᾳ quae vocatur judicavit. Ceterum neglegendum non est a veteribus criticis in egregiarum Antiphontis orationum numero quintam habitam esse. Atque quum ipsa causa ad quam ea pertinet, sit quasi uberrimus quidam fons multarum et difficilium quaestionum, subtilium probationum, contentionum, indiciorum, multarum denique rerum, in quibus tractandis Antiphontis praestantia potissimum cernatur, quum deinde ex causae rerumque natura etiam elocutionem orationis pendere arbitremur, hac oratione Antiphonteam dicendi proprietatem perfectam et absolutam contineri (cfr. Blass p. 186), et ita fere etiam veterum laudem intellegendam esse opinor. Quod si ita est, multae Antiphontis orationes fuisse videntur, quae peculiarem illius dicendi rationem adeo temperatam tamquam et attenuatam exhiberent, ut oratio VI. ab iis haud longe recederet. Attamen quum hujus orationis genus demonstret recto judicio oratorem intellexisse, quid causa potissimum postularet, quomodo crimen facillime refelleretur,

quae maxime persequi quaeque fugere oporteret, quomodo unus quisque locus apte diceretur, qua denique ratione non modo ad absolvendum reum, sed etiam ad invidiam accusatoris judices adducerentur, haec mea quidem sententia orationi VI. tali laudi sunt tribuenda, quae orationis V. auctore indigna non sit.

Vita.

Natus sum Bernhardus Brinkmann Osnabrugi a. d. V. Id. Sept. anni h. s. LXIII., patre Conrado, matre Ludovica e gente Overwetter. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus inde a decimo aetatis anno Gymnasium Carolinum Osnabrugense frequentavi. Maturitatis testimonio instructus autumno anni LXXXII. Monasterii Guestfalorum numero civium academicorum adscriptus sum, ut philologiae studiis operam darem. Vere anni LXXXIV. ad Almam Matrem Lipsiensem me contuli, ubi iisdem studiis deditus usque ad hunc diem permansi. Docuerunt me viri illustrissimi atque doctissimi Stahl, Langen, Storck, Schlueter, Hagemann, Niehues Monasterienses, Lange, Zarncke, Ribbeck, Lipsius, Hildebrand, Heinze, Richter Lipsienses. Stahli, Langi, Ribbecki benignitate mihi contigit, ut in societates eorum philologicas reciperer, Zarncke ad exercitationes theodiscas me admisit. Quibus omnibus optime de me meritis ex animi sententia gratiam refero quam maximam.
